

174

II n  
2996



I, 29.

29.



I, 29.



J

V

L  
B



JACOBI ANDREÆ  
**CRUSII.**

JCTI, NEC NON SERENISSIMI AC PO-  
TENTISSIMI DN. DN. ELECTORIS BRANDEN-  
BURGICI CONSILIARII.

**WITIKINDUS.**

*S I V E*

**DE WITIKINDI PRINCIPIS  
ANGARIÆ, AC DUCIS SAXONUM,**

*NEC NON*

**LIBERTATIS GERMANICÆ DIUTURNO  
BELLO CONTRA CAROLUM MAGNUM IMPERATOREM**

GESTO PROPUGNATORIS FORTISSIMI

**VITA, MORIBVS, REBVS BELLO,**

PACEVE PRÆCLARE GESTIS, CONVERSIONE AD CHRI-  
STIANISMVM, OBITV, MONVMENTOQUE

***LIBER SINGULARIS.***

EX OPTIMIS VETERVM MONVMENTIS  
CONCINNATVS.



***M I N D A***

Sumptibus JACOBI GODEFREDI SEYLER.  
TYPIS JOANNIS PILERI M DC LXXIX.

JACOBI ANDREAE  
GRUSSI.

JOHANNES SEBASTIANUS  
TERTIUS DE BRITANNIA  
REXIS CONSULTUS

WITKINDUS  
DE WITKINDI PRINCIPIS  
ANGARU AC DUCIS SAXONIAE

LIBERTATIS GERMANICAE DICTUM  
REXIS CONTRA CALUMNIAM  
MAGNUM LIBERTATIS  
MORIBUS REVERBELLIS



EX LIBRIS

SEBASTIANUS  
TERTIUS DE BRITANNIA  
REXIS CONSULTUS





*SERENISSIMO ATQVE CELSIS-*  
*SIMO PRINCIPI AC DOMINO,*


**DN. FRIDERICO.**

**MARCHIONI BRANDENBURGI-**  
CO, S. R. IMPERII. ARCHICAMERARIO, ET ELECTORATUS  
SUCCESSORI HEREDITARIO; IN BORUSSIA, MAGDEBUR-  
GI, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANO-  
RUM, CASSUBIORUM, ET VENEDORVM, NEC NON IN  
SILESIA CROSNENSIVM, ET CARNOVIENSIVM DVCI;  
BVRGRAVIO NORIMBERGENSI; PRINCIPI HALBERSTA-  
DIENSI, MINDENSI, ET CAMINENSI; COMITI MARCÆ ET RAVENSBER-  
GÆ, DOMINO IN RAVENSTEIN ITEMQVE DITIONVM LAVENBURG  
ET BVTAW;

*PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMEN-*  
*TISSIMO.*



Ffero Celsissimo Nomini Tuo, Princeps Serenissime, de  
votissimo animo opusculum hocce historicum de vita & rebus bello  
paceve præclarè gestis Witikindi re & nomine Magni, libertatis Saxoni-  
cæ contra Carolum M Imperatorem propugnatoris fortissimi, non ex  
vulgi erroribus aut anilibus, quæ circumferuntur de eodem, fabellis,  
sed certâ vetustatis fide & Historiæ Germanicæ antiquæ fonte perenni  
depromptum, librum nec magnum mole, nec tractatione eleganter politum, ex operis  
ipsius argumento tamen, inspecto insuper insigni animi cultu potentissimæ Domui  
Brandenburgicæ à me debito paratoq; nulli, quàm S. V. inscribendum. Quem enim,  
ut alia mittamus, præterit ex illustri familiâ Witikindi Regis sive Ducis Angariæ, Her-  
culis illius Germanici, prout non malè hoc elogio ob amplissimas & potentissimas ab  
eo conditas familias à Reinerio Reineccio Viro de historiâ rerum Germanicarum præ-  
clarè merito ornatur, præter maximos Reges Principesque Orbis Christiani & vetustissi-  
mos Marchiones Brandenburgicos majores S. V. laudatissimos, quorum fortitudine &  
præsidio afflictæ & quasi conclamatæ res Imperii toties conservatæ, originem ducere, ac-  
cedit quod & potiores ditiones Witikindi præsertim ad pagum Angariæ spectantes, cu-  
jus pagi incolas Tacitus Angrivarios, Witichindus Monachus Corbeiensis verò, Auctor  
Vitæ Caroli M. à Pithæo editus, nec non Beda Angarios appellarunt, potentissimæ Do-  
mus Brandenburgicæ imperio sint subiectæ, præterea cui non notissimum celeberrimi  
hujus Saxonum Principis antiqui operis sepulchrum, quod Carolus quartus cum Angu-  
stâ con-



Ita conjuge sub finem Anni 1377, non solum inspexit, sed tumbam vetustate non ni-  
 nihil deformam renovari mandavit, additis insignibus, nempe Leone flavo cum cau-  
 da bifurcata in puniceo campo, in S. V. Comitatu Ravensbergico superesse. Quod si  
 in offerendis ejusmodi ingenii monumentis beneficiorum quoque acceptorum habenda  
 ratio, cui magis quam S. V. Domine clementissime hoc opusculum inscribendum,  
 nec enim V. S. maximus Pater afflictæ Germaniæ Achilles Dominus meus clementissi-  
 mus tantum me toties nomine Civitatis Mindensis ejusdem gravamina proponen-  
 tem clementissime audivit, nec unquam nisi cum salutari resolutione dimisit, sed &  
 S. V. ante quinque, ni fallor, annos, heic Mindæ me itidem singulari clementia &  
 favore complexa fuit. Tres ferè anni elapsi, cum à S. V. Patre Maximo Dn. meo  
 clementissimo functione Advocaturæ patriæ mihi clementissime commissa, annus verò  
 jam est, cum nihil tale expectantem in numerum Consiliariorum suorum legerit  
 cooptaveritque. Quam clementiam ac ευεργεσίαν humillimâ mente perpendens,  
 hunc qualemcunque ingenii foetum, tanquam devotionis & venerationis meæ, quâ  
 summas virtutes S. V. colo, ad posteritatem monumentum humillimè offerre volui,  
 debui, devotissimè rogans, ut S. V. favere pietati meæ, ac oblatum hocce opusculum  
 subjectissimæ observantiæ obfidem sereno parique vultu, quo S. V. Pater Maximus  
 Dominus meus clementissimus Serenit, suæ ante 12. annos inscriptum tractatum me-  
 um de præminencia, sessione, præcedentia, & universo jure εποεδσίας Magnatum in  
 Europâ quatuor libris absolutum suscepit, aspicere & admittere velit. Quod re-  
 stat DEUM Opt. Max, ex animo precor, ut S. V. cum totâ potentissimâ Domo Bran-  
 denburgicâ, & illum, quem jam jam orfuri sumus annum, & plurimos alios, quâ fe-  
 licissimè peragat, æternâque laude florentem Virtutum suarum ac clementiæ gloriam  
 & incolumis & fortis, aliis super alia operibus augeat. Mindæ d, XXX. Decembr. styl.  
 vet. A. clo ccc LXXVIII.

SERENITAT. VESTRÆ

Subjectissimus & devo-  
tissimus

Jacobus Andreas Crusius D.

CAPVT





CAPUT I.

De variâ nominis Witikindi Scriptione.

SUMMARIA.

1. Vitas maximorum Principum ac Illustrium virorum scribendi consuetudo.
2. Historiæ encomium.
3. Witikindi apud scriptores rerum Germanicarum dispersa.
4. Auctoris institutum.
5. Varia nominis Witikindi scriptio exhibetur.
6. Unde nomen Witikindi promanarit.
7. Adducuntur tum ecclesiastici tum seculares, qui à vocabulo Witte nomen habere videntur.
8. Wittigast sive VVifigastaldus dictator Legis Saliæ.
9. VVittodii quinam apud antiquos Saxones?
10. Unde dicti?
11. Quænam iudicio Socratis beatæ Republicæ.



**V**etus religio est, vi-  
tas ac res bello paceve  
preclare gestas maximorum  
Principum & virorum in-  
gentium posteritati trade-  
re, tum ut nunquam non  
meditanda ad imitationem exempla egregia  
sint, cum ut defunctorum memoria ab oblivio-  
ne vindicetur. Enim verò quid attinet gessisse  
magna, bellique ac pacis illustrem extitisse  
artibus; nisi sit, qui monumentis victuris enar-  
ret, & fide annalium vigere perpetuò, atque in  
fama rerum manere jubeat. Equidem cum re-  
liqua mortalia opera variis casibus sint subjecta,  
verissimumque sit istud Ovidii *Metamorph.*  
*lib. 15.*

*Tempus edax rerum, tuque invidiosa  
vetustas;  
Omnia destruitis, vitiataque dentibus  
ævi  
Paulatim lentâ consumitis omnia morte.*

Sola historia juxta Agathiam *lib. 1.* Viros il-  
lustres bellique duces immortales fecit, eorun-  
demque memoriam ab omni oblivione vindica-  
vit, monumentum equidem teste Horatio *lib.*  
*3. Od. 30.*

— — — — — ære perennius  
Regaliq; situ Pyramidum altius;

Quod non imber edax, non Aquilo im-  
potens  
Possit diruere, aut innumerabilis  
Annorum series, & fuga temporum.

Nec malè historiam lucem veritatis, memoriam  
omnis antiquitatis, magistrum vitæ, utilem ju-  
dicio Principis Philosophorum Aristotelis *lib.*  
*1. Polit. c. 5.* Ad publicas deliberationes rerum  
gestarum, ac verissimam disciplinam ad res ci-  
viles cum Polybio *lib. 1.* dixeris. Quæ cum ita  
sint, ab omni ferè ævo cruditi vel plurium vi-  
rorum illustrium vitas, vel unius saltem aut al-  
terius res gestas, ac dicta factaque literis con-  
signarunt, quorum vestigia & ipse secutus vi-  
tam Witikindi nomine & re Magni, Principis  
Saxonum Illustrissimi, & Ducis belli contra Ca-  
rolum Magnum à Saxonibus gesti diuturni sa-  
ne & truculentissimi ex professo describere, &  
quæ de eodem apud scriptores Germanicos an-  
tiquissimos in universum pauca, parca, & di-  
persa extant, συλλήβδην atque uno velut fasce  
complexurus posteritati exhibere aggredior.  
Quâ quidem in re, cum Fl. Vopisco in Probo, 4  
non ego nunc facultatem eloquentiamque pol-  
liceor; sed res gestas, quas præterire non pa-  
tiar, & industriam, quamcumque etiam iis col-  
ligendis impendi. Certus interim animi spei-  
que, non aliâ ratione me & pluribus Witikin-  
dum, quem inter Herôes & Principes Germa-  
nicos post Arminium juvenem genere nobi-  
lem,

A

lem,

lem, manu fortem, ultraque barbarum prompti ingenii juxta Vellejum, clade Varianâ, eâque teste Suetonio *in Aug. c. 23.* penè exitiabili illustrem tantum eminere

Quantùm lenta solent inter viburna cupressi.

Constat, notiozem, quam fuerit hætenus, redditurum; Principisque fortissimi facta atque famam nominis, cum laude & bonis recordationibus prosequendo, effecturum, ut multa ac bona ejus facta immortalem apud animos omnium, gloriam ipsi concilient, ut Tiberii hæc utar verbis ex Taciti *Annal. lib. 4. cap. 38.* & Dionis *lib. 16.*

Cæterum veteris instituti morem ac monitum Xenophontis Philosophi apud Eunapium *in vestibulo libri de vitis Sophist. libi. καὶ τὰ πάρεργα δὲ τῶν σπευδόντων ἀνδρῶν ἀναγέειν* secutus, de nomine Witikindi ejusque scriptione variâ, nec non quam ob causam verisimiliter id nomen Witikindo nostro, ac majoribus illustrissimis tributum pauca præmittere pretium operæ me facturum puto. Equidem constat mediæ ætatis historicos scriptione variâ nomen hoc exprimere, observante incomparabili Reinegro Reineccio ad Saxonem illum Anonymum à se primo in lucem editum, qui sub Arnolpho Imperatore res gestas Caroli Magni versibus barbaris enarravit. Ab Adone Viennense magnanimus iste Saxonum Dux nunc Witichingis, nunc Witigingis appellatur. Annales Francici, Witichindus Monachus Corbejenfis, & Dithmarus Merseburgensis Episcopus vocarunt Widikindum, Adamus Bremensis & Albertus Stadenfis modo Wedekindum modo Witikint. Sigeberto Gemblacensi est Wintichindus, Poëtæ Anonymo modo laudato est Widokindus, Wernerus Rolevinckius Wedekynum. Alii, observante Johanne Goes *in Animadversion. ad Reineri Reineccii commentatiunculam de Angariâ Witikindum, Witichindum, Widechindum* nuncuparunt. Verosimile verò est nomen illud pro manasse à veteri Germanico vocabulo Witte Witte / & Witichindo ejusque majoribus ob singularem prudentiam datum fuisse. Wittii enim Veteribus Germanis idem fuit, quod prudentia. Observarunt hanc derivationem Viri aliquot insigniter docti, quos inter Auctor Etymologiarum nominum aliquot Germanicorum. Idemque placuit clarissimo Lipsio *Cent. 3. Epist. 49.* & Petro Albino, qui *in Progymnasm. historiae Saxonicae pag. 200.* Affirmat Witt vocabulum significare Principem sapientem, hinc Idem de Wittâ Saxonum Rege,

Witta subit, certis cui dat sapientia nomen  
omnibus.

Porro à vocabulo Witte nomen habere videntur modo laudati Regis Saxonum F. VVitigis-  
7  
lus pater Horstæ & Hengisti, qui primi colonias Saxonum in Britanniam deduxerunt juxta Bedam *histor. Eccl. Angl. lib. 1. c. 15.* VVitbertus Comes apud Reginonem *lib. 2.* VVitigo Episcopus Misnensis apud Fabricium *Annal. urbis Misne lib. 2.* VVitfridus F. Eduini Regis Saxonum in Angliâ apud eundem Fabricium. *Orig. Sax. lib. 1.* VVitili, VVitold, aliaque nomina Historico & Poëtæ sui temporis eximio Henrico Meibomio *de Irminsula Saxonica cap. 12.* adducta, & teste eruditissimo Melchioræ Goldasto Heiminsfeldio *Alemannicar. Antiquitat. tom. 2. parte primâ,* prisca Alemannis usitata, ut de VVitigast, quem Sigebertus Gemblacensis *in Chronico ad Annum CCCCXII.*  
8  
wifogast, Ottho Frisingensis verò *lib. 4. c. pen.* VVitigastaldum vocat, dictatore legis Salicæ, de quo vid. post Franciscum Holtomannum *in Franco-Gallia cap. 8.* Conringium *in tr. de Orig. jur. Germanici cap. 7.* & Johannem Limnæum *in Notitiâ Regni Franciæ lib. 1. c. 8. in not. lit. r.* ea, quæ annotavi. *In tr. meo polit. jurid. historico de præ eminentiâ, sessione, precedentiâ, & universo jure πρεσβυίας Magnatum in Europâ lib. 3. cap. 4. n. 49. 50. 51. & seqq.* nunc nihil dicamus. Videntur equidem à vocabulo VVitte quoque nomen habere Vitiges Gothorum Rex apud Procopium *lib. 1. de bell. Goth.* VVitigerus Episcopus Metensis. *Regin. lib. 2.* & VVitigonno Abbas Augiensis. Sane & ipsi apud antiquos Saxones non ignobiles VVitodii five sapientes Druidum successores divinæ humanæque Philosophiæ periti, & in autoritate summâ constitutis allecti, quorum mentio apud Goldastum. Hos enim VVitodios appellabant composito è VVit & dod vocabulo, quorum illud sapientem, hoc patrem vel amicum significabat, post Harsd. *disquis. Philol. Germ. §. 5. & 6.* Frider. Brummer. *in tr. de Scabinis antiquis cap. 2. §. 22.* Prorsus conformi Socratis apud Platonem *lib. 5. de Republ.* Qui beatas Respublicas esse non posse dicebat, nisi aut Philosophi eas regerent, aut Reges γυνοίως καὶ ἰκανῶς philosopharentur, iudicio.

Ab eodem igitur vocabulo VVit five prudentiâ nomen quoque VVitichindo impositum fuisse verosimile est, & verò de ejusdem prudentiâ satis testari poterunt res diuturno bello Saxonico contra Carolum Magnum præclarè & singulari cum prudentiâ gestæ, quâ dere in subsequens pluribus acturi sumus.

✽:(o):✽

Decorative border with repeating floral and geometric patterns.

CAPUT II.

De prosapia illustrissimâ Witikindi, ejusdemque habitu Corporis.

SUMMARI A.

1. VVitikindi vitæ exordium à genere. 2. Generis non magna habenda ratio. 3. Imo maximè. 4. VVitikindi ex Saxonix Ducibus illustrissimisque in tractu VWestphalico magnatibus origo. 5. Recensentur majores VVitikindi. 6. Exhibetur parens VVitikindi. 7. Nec non Genealogia remissivè. 8. Quo anno in lucem editus VVitikindus, ac quomodo educatus? 9. VVitikindus insigni proceritate corporis præditus fuit. 10. Et quidem exemplo Germanorum, de quorum proceritate laudata testimonia Taciti, Cæsaris, Quintiliani, Manilii, aliorumque. 11. Tales itidem fuere Burgundiones & Scandinaviæ incolæ. 12. Quæ causæ ejusmodi insignis staturæ remissivè. 13. Longitudo Herculani corporis digna habitu speculatione Pythagoræ. 14. Alia laudantur argumenta pro proceritate corporis VVitikindi militantia. 15. Quænam gentes in eligendis Regibus suis proceritatis corporum rationem habuere? 16. Locus vetustissimi scriptoris Scylacis Aristoteli laudatus eâ de re adductus. 17. Quænam statura corporum Germanicorum fuerit? 18. Cuiacii encomium.

1. **N**on aliunde justius vitæ VVitikindi Magni exordium auspicari poterimus, quàm à natalitio sanguine & prosapia illustrissimâ. Quamquam enim quibusdam haud necesse esse videri posset describere magnorum Virorum majores & patriam illustrem, cum teste experientiâ omnium temporum Viri fortissimi, qui imperarunt latè ac dominati sunt, de casis etiam & gurgustiolis prodierint, attamen non postremum laudis aut gloriæ momentum esse arbitror, ab illustribus & claris progenitoribus vitæ ac generis ducere primordia, quippe quod verissimum sit istud Horatianum *lib. 4. Od. 4.*  
*Fortes creantur fortibus & bonis:*  
*Est in Iuvencis, est in equis patrum*  
*Virtus: nec imbellem feroces*  
*Progenerant aquila columbam.*  
 Quibus femina virtutis à majoribus per multum tempus ducta adsunt, inquit hac in re de

Cæsare Antonius apud Dionem *lib. 44.* fieri non potest, quin & ingenita & perpetua virtute sint præditi. Quam ut exercent, subinde eos

*Et pater Aeneas & avunculus excitat Hector.*

ut de Ascanio scribit Poëtarum Princeps *lib. 3. Æn.* Contigit sicui alii, certè VVitikindo Magno fortissimo Saxonum Duci ea felicitas, ut ex antiquissimâ & illustrissimâ prosapia, ac pace belloque clarissima origine nasceretur. Ea fuit potentissimorum Saxonix Ducum & Illustrissimorum in tractu VWestphalico Magnatum, quos inter primum merito suo occupat locum Bodo Rex Saxonum Princeps domiforisque bellicosus, cui diversorum locorum Reges suam debent originem, qui circa annum Christi 260. claruit, neque prætereundi Vechta sive VVichta, & præcedenti capite laudatus VVitta sive VVittichius, quorum ille

- An. Christi 300. hic An. 350. Saxonæ præfuit, quem cepit VVittigislus aliis VVit-kindus An. Christi 400. eundem secuti deinde Hengistus An. 449. Odoacer An. 480. Hatugatus An. 524. aliique anonymi Reges & Duces Saxonæ, neque omittendi hoc loco Bertholdus Rex Saxonum, Bello Francico contra Dagobertum gesto, fortiter pugnando occumbens, & Sighardus seculo post Christum Restauratorem generis humani natum septimo florentes, quibus addendi posteriores Dietericus Sighardi F. Edelhardus Diederici F. Bertholdus Edelhardi Frater, Albigus Edelhardi F. sed missis illis exhibemus Magni nostri
6. VVitikindi parentem Serenissimum VVernekinum Edelhardi fratrem Principem Saxonum, qui Anno Christi 768. obiit. Cæterum cum Magni VVitikindi nostri genealogiam à vetustissimis Saxonæ Regibus profluentem absolutâ cum laude posteritati exhibuerit Historicus eximius Elias Reusnerus in præclaro opere
7. *Genealogico Imperat. Regum, Principum &c. Germanorum totius Orbis Christiani p. 248. & pluribus sequentibus*, ad eundem lectorem remittimus, redeuntes ad VVitikindum nostrum multarum illustrissimarum familiarum, in Europâ conditorem.

- Equidem de anno, quo in lucem editus VVitikindus nihil certi apud vetustiores Germanicarum rerum scriptores occurrit, ac licet
8. de educatione quoque VVitikindi memoriæ nihil proditum meminerim, quin potius apud historicos ejus temporis altum eâ de re sit silentium, certum tamen atque indubium est, eundem, utpote ex illustri familiâ natum ab ineunte ætate, more Saxonum in rebus militaribus optimè exercitatum ac educatum fuisse, arguunt sane id ipsum res postmodum ab eodem in diuturno illo contra Carolum Magnum bello præclarè gestæ, & verò vix fieri poterit, ut quisquam aliquando ad summum virtutum & rerum perveniat, qui non puer seminario virtutum concretus, à primâ ætate gradibus virtutis adscenderit, ut ait Fl. Vopiscus in *Aureliano & Probo*. Posteriores equidem VVitikindi actiones probant, non alium à primis annis fuisse, quam Claudianus *lib. 1.* depingit Stiliconem

— — — mens ardua semper  
Apuero; tenerisque etiam fulgebat in  
annis

Fortuna majoris honos: erectus & acer,  
Nil breve, moliri, nullis harere poten-  
tum

Liminibus, fastisque loqui jam digna  
futuris:

Jam tum conspicuus, jam tum venerabilis  
ibat,

Spondebatque Ducem celsi nitor igneus  
oris

Membrorumque modus: qualem nec  
carmina fingunt

Semideis.

Quoad staturam & habitum corporis VVitikindi nostri extra omne dubium ponimus eundem instar reliquorum Saxonum, quorum habitus corporum teste Cornelio Tacito in *lib. de moribus Germanarum*, quanquam in tanto hominum idem omnibus, quâ in re consentientem habet Juvenalem *Satyr. 5.*

*Carula quis stupuit Germani lumina,  
flavam*

*Casariem, & madido torquentis cornua  
cirro?*

*Nempe quod hac illis natura est omni-  
bus una.*

Proceritate insigni præditum fuisse. Sane de Germanis in universon scribit Pomponius Mela *lib. 3. cap. 3.* eosdem immanes esse animis atque corporibus. Tacitus magna corpora omnibus tribuit. Jam ante utrumque *Cæsar lib. 4. belli Gall.* Germanos immani corporum magnitudine homines pronuntiavit. Apud Josephum *belli Judaici lib. 2. cap. 16.* Agrippa Rex tumultuantes Judæos ita alloquitur: Quis vestrum fando non accepit Germanorum multitudinem? Proceritatem enim & magnitudinem corporum, ipsi vidistis sæpissime, idem de Germanis tradunt Quintilianus *declamat. 3.* Strabo *lib. 4.* Plutarchus in *Mario*, Ammianus *lib. 16.* Galenus *lib. 2. de temperamentis.* Allusit & Manilius *lib. 4.*

*Est stupefacta suos inter Germania par-  
& paulò post* (tus

*Flava per ingentes surgit Germania  
partus.*

Quin imo per Germaniam vixisse quondam homines insignis staturæ ac roboris (cujusmodi Burgundiones nonnullos olim etiam fuisse eruditè probat Chiffletius *parte 1. Vesontionis cap. 11.* 47. & de Scandinaviæ incolis testantur Saxo Sialandicus in *proemio historiae sue Danicae*, & Arngrimus Jonas in *Islandiæ patriæ sue descriptione cap. 4.*) indicant, ni fallimur, quæ hodieque etiam extant stupendæ magnitudinis saxa saxis curiosè imposita: ad quæ movenda disponendaque machinas artificiosas majoribus nostris defuisse nemo non fatebitur, cui non ignota est vetus ruditas & barbaries, taceo reperta in terris aut specubus (cujusmodi est ad Elbingerodam Baumanni caverna) solitam magnitudinem longe superantia humana ossa; & vulgi de gigantibus famam. Sane causas, cur illis temporibus majores nostri in ejusmodi staturam excreverint præclarè exposuit perpetuum Academiæ Juliæ decus Fautorque noster pl. colendus Hermannus Conringius in *dissertat. de Germanicorum corporum habitus antiqui & novi causis per tot.*

Equidem, si digna res Speculatione & curâ habita Pythagoræ, summo Philosopho longitudinem Herculanî corporis è plantæ ejus indicio indagare testibus Plutarcho & Agellio, cur non de VVesthpalico Hercule Saxoniceque libertatis propugnatore incomparabili idem inquirere nobis precium operæ videatur? Et verò

verò Witikindum cum primis non vulgari corporis staturâ & proceritate fuisse, non magis vulgo creditum, quàm ex præcedentibus verosimile redditur: Et cum omnia in eo magna fuerint, neque hoc ornamentum ei defuisse satis credibile videtur. Non tamen ut prodigiôsæ altitudinis Virum aliquem nobis fingamus, ceu Goliathem Philisteum, aut Maximinum Thraëem: sed ut heroicæ staturæ virum principem in bellaci fortissimâque gente Westphalorum, qualis olim inter Danaum primos.

— — — *Præstanti corpore Turnus  
Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est.*

14 vel potius qualis in populo sacro Rex & unctus Domini, ab humero & sursum eminens super omnem populum 1. Reg. c. 9. Witikindum sane non vulgari corporis staturâ & proceritate fuisse præter constantem per aliquot secula famam non obscure evincunt ea, quæ modo de immani Germanicorum corporum magnitudine ex scriptoribus variis observavimus, & cum Tacito teste, habitus quanquam in tanto hominum numero idem omnibus fuerit, quis credat Witikindum cæteris habitu corporis & proceritate inferiorem fuisse? ut hoc ævo mirum nimiumque videri alicui possit, quo

*Terra malos homines nunc educat atque pusillos.*

Præterea ipsa ossa Witikindi, quæ Hervordenses asservata advenis monstrare solent, itidem non exiguæ staturæ Principem fuisse arguunt. Equidem licet Albertus Cranzius, eumque ex recentioribus secutus Petrus Cutsenius S. Theolog. D. in *Saxoniâ Catholicâ* p. 22. ossa Witikindi ab Henrico Aucupe Imp. cum tumulâ Paderbornam translata scribant, rectius tamen Reverendissimus & Celsissimus Princeps Ferdinandus Episcopus Paderbornensis & Coadiutor Monasteriensis Princeps eruditissimus in incomparabili opere *Monumentorum Paderbornensium* tradit, Angariensi Collegio auctoritate Pontificiâ Anno 1414. 16. Januarii inde translato & Hervordiam migrante, cineres Witikindi cistæ lignæ parum reverenter inclusos, una cum aliis quibusdam cimeliis ex basilicâ Angariensis vici asportatos fuisse. Sane ut non

pauca gentes in eligendis Regibus suis proceri-<sup>15</sup> tatis corporum rationem habuere, vel Philosophorum Principe Aristotele (de quo Justus Lipsius *Manuduct.* 1. in *Phil. Stoicam* dissert. IV. invidenda quorundam effata habet. Videatur summus Vir in Philosophiæ Peripateticæ & sui ævi laudem natus Fortunius Licetus in duobus, quos publici juris fecit libris, de *Pietate Aristotelis in Deum & homines, necnon de primoque sitis per Epistolas, Epist.* 17.) teste lib. 4. *Polit.* c. 4. ubi de Æthiopiæ incolis id ipsum tradit, quod desumpsit ex vetustissimo scriptore Scylace, quem & Idem Philosophus lib. 7. *Polit.* c. 14. 16 laudavit, ex eo observans, eundem morem apud Indos obtinuisse, quâ de re tamen in libro isto Scylacis, qui hodie extat nihil, sed potius de Æthiopiæ populis id ipsum relatum legitur, eodem modo & Saxonibus Westphalisq; in Ducibus & Principibus per vero simile est placuisse non vulgarem corporis staturam & proceritatē, sane ad minimum non degenerantem â communi habitu reliquorum corporum Germanicorum, quæ magna esse & tantum ad impetum valida scripsit Tacitus, quâ in re præter supra laudatos consentientem habet Columellam lib. 3. c. 8. *ibi Germaniam rerum natura decoravit altissimorum hominum exercitibus.* Marquar-<sup>17</sup> dus Freherus Patricius Augustanus & Consiliarius Palatinus in *Notis ad Petrum de Andlo de Imperio Romano Germanico* lib. 1. c. 15. p. m. 144. observat, plerosque staturâ sex pedes excessisse, cum apud Romanos legendo tyroni quinque & semis sufficerent, prout eleganter Cujacius,<sup>18</sup> quem doctissimus Petrus Faber l. 6. *Semest.* c. 24. p. 495. Doctorem Doctorum appellat; quem nemo satis unquam miratus est, teste Lipsio ad *Tatit.* l. 1. *Annal.* lib. 21. *observat.* 5. Accedit prioribus, quod ex habitu corporis præ aliis insigni & incurvo dextræ digito, qualem etiam representat monumentum ejusdem Angariense, Witikindum Paderbornæ in Resurrectionis dominicæ faustissimo festo, quod omnium Christianæ Religionis celeberrimum augustissimumque olim habitum testibus Chryso-stomo homilia VII. de Resurrectione Domini & Socrate *hist. Ecclesiast.* lib. 7. cap. 5. mendicorum turbæ inmixtum, quibus Carolus Magnus suâ stipem manu largiebatur, agnitum fuisse, scribant recentiores historici, quâ de re infra pluribus dicturi sumus.

### CAPUT III.

*De dignitate Witikindi, quam inter Westphalos obtinuit.*

#### SUMMARIA.

1. Quid rerum primis adulterioris ætatis annis egerit Witikindus?
2. De dignitate Witikindi diversæ extant historicorum &

B

scripto-

scriptorum sententiæ. 3. Witikindus à Rolevincio Vir nobilis vocatus. 4. Ex nobilitate Comites electi. 5. Witikindus ab Annalibus Francicis unus è primoribus westphalorum appellatus fuit. 6. Ducis dignitas & titulus à Witichindo, Gobelino Persona, Cranzio, aliisque VVitikindo nostro assignatus. 7. Notatus Zwingeri error. 8. An VVitikindus Satrapa fuerit? 9. Regia dignitas à quibus VVitikindo tributa? 10. Joannis Goes sententia hâc de re relata. 11. Gobelino suspecta de VVitikindi regia dignitate sententia fuit. 12. Tentata conciliatio discrepantium sententiarum. 13. Ostenditur VVitikindo regiam dignitatem titulumque à vetustissimis rerum Germanicarum scriptoribus assignatum fuisse. 14. Laudatur Dithmarus Merseburgensis Episcopus ejusque chronicon. 15. Adducitur conciliatio discrepantium sententiarum à Sagittario proposita approbataque. 16. VVinkelmanni sententia hâc de re laudata.

**Q**uid rerum primis adultioris ætatis annis gesserit Witikindus non liquet. Non ante enim ejus ab auctoribus & antiquissimis rerum Germanicarum scriptoribus injectam mentionem observavi, quam ex quo fortissimus Princeps pro libertate gentis Saxonicæ contra Carolum Magnum arma arripuit, bellaque vario Marte gessit. Verisimile est, usque ad id tempus, ut adolescens occeperat, ingenium illustre altioribus exercitiis militaribus dedisse, animumque ita munisse, ut firmior aliquando adversus fortuita res agendas capefferet, quo nomine Tacitus *histor. 4. c. 5.* laudat Helvidium Priscum, & verò cujus corpus & animus, ut de Cæsare argumentatur M. Antonius apud Dionem *lib. 44.* ad omnia pacis bellique opera suffecerunt, eum omnino necessum est, ut optimè educatus fuerit.

Cæterum quod dignitatem Witikindi, quam inter suos obtinuit, attinet, diversæ extant historicorum & scriptorum eâ de re sententiæ, observante ex Jctis nostris Theodoro Hoepingio in *praclaro opere de Jure Insignium cap. 6. part. 5. memb. 2. n. 694. p. m. 342.* aliis eum Regem, aliis Ducem fuisse asserentibus, quibusdam & placuit, eundem Satrapæ tantum vices obtinuisse. Equidem vocatur Witikindus, noster, antequam bellum cum Carolo M. Imperatore gerendum à Saxonibus ei comitteretur à Rolevincio *de laudibus antiquæ Saxonie* Vir nobilis, cujusmodi Nobiles five Dynastas per Saxoniam & Westphaliam plures fuisse relictos à Carolo Magno, cum gentem fortissimam ac ferocissimam non tam armis subjugatam, quàm humanitate & officiis delinitam, Francis adjunxisset, historici Germanici testantur, ast ut non dixerim antiquis temporibus ex Nobilitate Comites, qui deinde suppeditabant Provinciæ Duces ac Mar-

chiones electos fuisse, expressè Annales Francici Widekindum hunc unum è primoribus Westphalorum appellant. Porro Ducis dignitatem & titulum alii antiquissimi Germanicarum rerum scriptores eidem tribuerunt. Witichindus Monachus Corbeiensis *Annal. lib. 1. p. m. 10.* expressè eum vocat Ducem, ibi. Et hi erant stirpis magni Ducis Witikindi. Eodem modo Gobelinus in *Cosmodromio Ætat. 6. c. 38. p. m. 188.* Witikindum unum è primoribus Westphalorum, pag. verò 189. Ducem Saxonum appellat. Saxones, inquit, Duce eorum svadente, videlicet Witikindo, postquam fidem Christianam primo susceperant, & Karolus profectus erat in Italiam Francorum terminos usque ad Rhenum ferro & igni devastant. Hæc Gobelinus d.l. Idem fecerunt & alii Germanici scriptores, iique recentiores, quos inter Wernerus Rolevinkius, & Albertus Krantzius Hamburgi quondam Theologiæ Professor, & ejus Collegii Decanus, (unde Albertus Hamburgensis vocatur à Meiero in *annal. Fland. ann. c10 c1x.*) qui obiit VII. Eid. Decemb. Anni c10 c1xvii. eoque corrigendus Zwingerus, cum ait claruisse Anno c10 c1xx. Hic Saxonie *lib. 11. c. 22.* Ille *parte 11. opusculi non contemnendi de laudibus antiquæ Saxonie c. 5. Principalis*, inquit ille, *capitaneus (dura cervicis incredulorum Saxonum) erat quidam Vir Nobilis dictus VVedekynus, quem quidam nominabant Regem, alii Ducem, filium gigantem robustum. Dani quoque vulgariter vocant eum usq; hodie Köninck VVedekyn, VVer-nikens Sohn.* Alii cum Beda putant, fuisse eundem unum de Satrapis, quem fors ad regendum exercitum accivit. Major pars scriptorum Regium titulum ac dignitatem Widekindo tribuerunt, quos inter ex recentioribus Reinerus Reineccius, pro quâ sententiâ præter veteres eosq; fidelissimos & antiquissimos rerum Germanicarum

- nicarum historicos ipsa Angariensis inscriptio  
 9 monumenti sepulchralis pugnat. Sane pacis  
 tempore nullum Germanis olim fuisse commu-  
 nem magistratum, sed Principes regionum atq;  
 pagorum inter suos jus dixisse & minuisse con-  
 troversas constat, quod libro 6. de bello Gallico  
 tradit Julius Cæsar, & passim inculcat clarissimus  
 Philippus Cluverius in percelebri opere de Ger-  
 10 mania antiquâ. Eruditissimus Johannes Goes  
 in Animadversionibus ad Reineri Reineccii com-  
 mentatiunculam de Angaria, contra Reineccium  
 regiam Witichindo in Saxones tribuentem po-  
 testatem in not. ad Anonymum Poëtam, qui Ar-  
 nolpho Imperatore res gestas Caroli M. versibus  
 barbaris enarravit, defendit, Witichindum Du-  
 cem non Regem fuisse, cum Saxonia, teste Wi-  
 tichindo Corbeienfi Monacho lib. 1. tantum à  
 Principibus gubernata fuerit, nec ullius Regis  
 Saxonici in historiâ Caroli M. fiat mentio, adde  
 quod Witikindus solis Angrivariis dicatur  
 præfuisse, unde suspicatur Angariensem inscri-  
 ptionem Reineccio laudatam à superstitionis &  
 à VVitichindi obitu non exiguo intervallo re-  
 motis temporibus monumento esse additam.  
 11 Fateor & Gobelino suspectam de VVitichindi  
 regiâ dignitate sententiam quorundam fuisse,  
 quod non obscure colligo ex ejusdem verbis in  
 Cosmodromio Ætat. 6. c. 38. p. 189. extantibus.  
 Quandoque, inquit Gobelinus landato loco de  
 VVitikindo, Rex nominatur, quandoque Dux,  
 quandoque unus primorum VVestphalorum. Hæc  
 Gobel. d. l. præclare observat, & verò Regem  
 plurimi dicunt, idemque fit in epitaphio, quod  
 sepulcro ejusdem adscriptum. VVitichindus  
 Corbeienfis magnum Ducem vocat. Annales  
 Francici verò ad Annum 887. unum è pri-  
 12 moribus VVestphalorum dicunt. Quod si eâ  
 acceptione, qua illi, qui integræ regioni præfue-  
 runt, non raro Latinis scriptoribus Reges di-  
 cuntur, quod tantundem valeant in Ducatibus  
 suis, quod in Regno Rex aliquis, ii qui VVitikin-  
 dus Regē dixerunt appellarant, nullum equidem  
 13 habebunt repugnantem. Vocatur sane VVitikin-  
 dus Rex etiam ab incerto illo Auctore Chronici  
 Mindensis operâ clarissimi Henrici Meibomii,  
 Poëtæ & Historici celeberrimi evulgati, ibi.

*Locus iste nominatus  
 Mindin, quondam incastratus  
 A quopiam Regulo  
 VVedekindo; qui tum gratus  
 Rex ibidem assignatus  
 Mindensi Populo,  
 Contra quem castrum fundatur  
 In Brulone & firmatur.  
 Prout per vestigium  
 Et fossatum demonstratur.*

Et paulò post Idem Auctor in prælaudato Chro-  
 nico de templo cathedrali igni devastato agens.

*Quicquid Cæsar pro ornatu  
 Et Rex VVedkind pro afflatu  
 Spiritus denoverat:*

*Hoc in totum ex afflatu  
 Divi ignis & cum flatu  
 Horrido perierat.*

Ne quis verò, Regiam VVidekindo tributam  
 dignitatem attinet, objiciat recentiorum scri-  
 ptorum Germanicorum testimoniis me solum-  
 modo heic uti, produco antiquissimum necnon  
 fidelissimum rerum Germanicarum historicum,  
 Dithmarum ex illustri domo Comitum Saxonie,  
 quos VValbeccenses nominat Cl. Meibomius 14  
 ortum, filium Sigefridi Saxonici Comitum, ob-  
 fervante Gerhardo Johanne Vossio lib. 3. de hi-  
 stor. lat. cap. 5. necnon Episcopum Mersebur-  
 gensem, qui gesta quinque Imperatorum Saxo-  
 nicorum Henrici I. Ottonis I. II. III. & Hen-  
 ricus II. cujus temporibus vixit, descripsit. Is  
 igitur in Chronico suo, quod scribere orsus fuit  
 anno Christi 1107. ætatis suæ 41. Episco-  
 patus X. unicum istius ævi thesaurum opus hoc  
 Dithmari appellat Andreas Brunnerus lib. 9. An-  
 naliū Boicorum p. 677. part. 2. lib. 1. Jam jam-  
 que, inquit Dithmarus, latentis animi fervor eru-  
 pit, & injusto se hætenus multum peccasse conu-  
 bio tandem confessus, per affines legatosque suos,  
 filiam Theodorici & Reinildæ ex VVidekindi Re-  
 gis tribu exortam appellat, ut sibi satisfaceret.  
 Hæc Dithmarus lib. 1. Chronic. pag. m. 5. quem  
 posteriores historici sequuntur. Non displicet  
 verò heic clarissimi Viri Casparis Sagittarii sen-  
 tentia, quam in Historia Antiquissimæ Urbis  
 Bardevvici cap. 2. §. 26. p. m. 57. sequentibus  
 verbis exposuit. Quod à scriptoribus, inquit, 15  
 qui post Carolingica tempora floruerunt, Rex  
 salutetur Witekindus, sicque etiam in Epita-  
 phio extet, nihil magis probat, quam in bello  
 regia quadamtenus potestate ipsum esse usum:  
 ut propter eandem potentiam à posterioribus  
 pro Rege fuerit habitus. Hæc Sagittarius d. l.  
 Et verò cum de Regibus Saxonici in monumen-  
 tis Veterum scriptorum parum reperiatur,  
 quinimo de iisdem apud diligentissimos alio-  
 quin rerum Germanicarum scriptores Eginhar-  
 tum, Engolismensem & San-Gallensem Mona-  
 chos, aliosque Annalium Francorum auctores  
 nulla Regis Saxonici facta sit mentio, pleraque,  
 quæ de his Regibus eorumque regia potestate  
 circumferuntur, non immerito suspecta videri  
 possent, ut ut non ignorem eruditissimum Vi-  
 rum Johannem Justum Winkelmannum Con-  
 siliarium & Historicum Hassiacum & Olden-  
 burgicum in Notit. Veteris Saxo-VVestphaliæ 16  
 asserere, suos antiquitus Saxonibus fuisse reges,  
 ex ratione, quod regius titulus VVitikindo à  
 Gobelino & Dithmaro tributus, sed Gobelini  
 quod attinet, eidem sententiam de VViti-  
 kindi regiâ dignitate, suspectam fuisse supra hoc  
 capite monuimus, neque repugnamus si eâ ac-  
 ceptione, quam supra proposuimus n. 12. hujus  
 Capituli aut juxta mentem Sagittarii regius titu-  
 lus VVitikindo tribuatur; sane isto modo à  
 scriptoribus Germanicis regiam dignitatem  
 VVitikindo adscriptam fuisse, ni fallor,  
 per videtur esse verosimile.

CAPUT IV.

*De pagis & ditionibus Witikindo subjectis,  
ad eundemque spectantibus.*

SUMMARIA.

1. Ut Romanum Imperium in provincias, ita Germania vetus pro simplicitate gentis in pagos divisa.
2. Helvetia isto ævo in quatuor pagos distincta.
3. Laudata de pagis Germaniæ testimonia scriptorum Germanicorum.
4. Pagi quænam fuerit isto tempore significatio?
5. Adducuntur auctores, qui ejusmodi Pagos descriperunt.
6. Pagus Angeri spectavit ad VVitikindum.
7. Hujus pagi incolæ Tacito Angrivarii dicti.
8. Angari unde dicti?
9. Angari habitarunt ad confluentes Anagri & Albis, quæ antiquissima eorum sedes.
10. Angariorum quænam dignitas nobilitas & potentia?
11. Eorundem sedes.
12. Minda non ignobilis pagi Angariensis civitas.
13. Minda altera ejusdem pagi civitas unde dicta?
14. VVitikindi temporibus an urbes mænibus cinctæ in Saxoniâ fuerint?
15. Eginharti encomium.
16. Recensentur urbes antiquissimæ in Saxoniâ tum temporis extantes.
17. Minda an interdubiæ antiquitatis castella referenda?
18. Carolus M. Mindam venit.
19. Conradus II. cognomento Salicus per biennium cum aulâ suâ, commoratus Mindæ fuit.
20. An Conradi Imp. Filius Mindæ in Regem electus?
21. Adolphus nobilis à Santesleve primus Schavvenburgensis Comes Mindæ à Conrado Imp. factus fuit.
22. Carolus IV. Imp. cum conjugè Augusta Mindam venit.
23. Minda insignia clavium à VVitikindo accepit.
24. Monumenta circa Mindam à VVitikindo appellata adducuntur.
25. Beneficia VVitikindi Mindæ exhibita.
26. Hervordia itidem ad pagum Angariæ spectans, an floruerit tempore Caroli M.?
27. Fundatio cœnobii Hervordiensis ejusdemq; dotatio, à quibus facta?
28. Hamela civitas pagi Angariensis, quod ex veteri inscriptione probatur.
29. Recensentur castra VVitikindi in diœcesi Osnabrugensi.
30. Vicus Engern quibus mutationibus iisq; variis subjectus fuerit?
31. Principis Henrici Leonis encomium, ibiq; notatus Gotfridus monachus.
32. Recensentur termini & limites Angrivariæ tam superioris, quàm inferioris.

**P**osteaquam de dignitate, quam inter suos obtinuit VVitikindus, capite præcedenti dictum, consequens est, ut de ditionibus & pagis ad VVitikindum spectantibus paucis dicamus, quâ in re præmonendum ducimus, ut Romanos suum Orbem in provincias, & has in præfecturas, colonias, ac municipia distributas habuisse: ita Germaniam veterem pro sim-



- 1 pro simplicitate gentis in pagos divisam fuisse, testes ejusce rei locupletissimi Julius Cæsar & Cornelius Tacitus. Ille *lib. 1. Comment de bello Gallico*, ubi scribit, totam Helvetiam in quatuor pagos esse distinctam. Hic *in elegantissimo libello de morib. German.* Eliguntur, inquit, in iisdem conciliis & Principes, qui jura per vicospagosque reddunt. Ammianus Marcellinus *lib. 13. & 18.* mentionem itidem facit pagorum Alamannicorum, quò spectant versus Poëtæ 3 ἀναθύμῃ, qui historiam Caroli M. tempore Arnolphi Imp. carmine heroico perscripsit, editus à Reinero Reineccio.

Sed variis diversa modis plebs omnis, habebat

Quot pagos, tot pene Duces, velut unius artus

Corporis in diversa forent hinc inde revulsi:

Sed generalis habet populos divisio ternos

Insignita quibus Saxonia floruit olim:

Nomina nunc remanent, virtus antiqua recessit.

- 4 Per pagum verò non vicum, quæ hodie est pagi significatio, sed tractum sive districtum unius ditionis, vel regionem, provinciam, & populi alicujus partem intelligebant Germani, ita Imperator Henricus II. In literis Anno MXIII. Werlæ datis ejusmodi pagos vocavit territoria: ibi. In pagis quibuscunque vel territoriis. Germanis veteribus dicebatur ein Gow/ quæ vox aliquoties occurrit in sanctionibus Imperii pragmaticis, quas Recessus Imperii vocamus, unde Henne Gow/Briskaw/&c. hinc etiam Gowgraff præses pagi vel regionis alicujus erat. Sane ejusmodi pagos & quidem Suevorum descripsit Henricus Bebelius, Superioris Germaniæ pagos verò collegit Vir de rebus Germanicis & jure publico præclarè meritis nobilissimus Marquardus Freherus, Patricius Augustanus & Consiliarius, Palatinus, cujus exemplo septentrionalis nostræ Germaniæ pagos, improbo labore, judicio Andree Knichen *de jur. territ. c. 4. n. 191.* collegit, & peculiari Commentariolo posteritati exhibuit clarissimus & quoad insignem Germanicarum rerum peritiam Vir summus Henricus Meibomius.

- 6 Ad Witikindum ut redeamus, constat eundem Ducem Angriæ fuisse, ad eundemque spectasse Pagum Angeri. Christophorus Brovverus *in Antiquit. Fuldens. lib. 3. c. 11.* appellat 7 Angergoviam, cujus pagi incolas Tacitus *l. 2. Annal.* Angrivarios, Witichindus Monachus Corbejenfis vero, Auctor vitæ Caroli M. à Pithæo editus, necnon Beda *Hist. Eccles. l. 5. c. 11.* 8 Angarios vocant, in *Chronico Mindensi* vocantur Angiri. Etymologia est à campestri planitie von den Angeren/ac si dicas campanos seu Pratenfes. Habitaverunt primùm hi Angarii ad confluentes Anagri & Albis, ubi Angermunda; 9 & hæc antiquissima eorum sedes teste Reinero Reineccio, inter Ostfalos & Westfalos ab Au-

stro Francis, ex Aquilone Oceano propinqui. Poëta Anonymus.

*Inter prædictos mediâ regione morantur Angarii, populus Saxonum tertius; horum*

*Patria Francorum terris sociatur ab Austro*

*Oceanoque eadem conjungitur ex Aquilone.*

Equidem etsi tot insignes inter Visurgim. & 10 Rhenum populi, Sicambri, Bruçteri, Tençteri, Dulgibini, Marfi aliique vel translati, vel veteri nomine amisso in unum cum Francis, deinde cum Saxonibus, coaluerint populum; mansit tamen semper Angrivariorum, ut Tacitus *lib. 2. Annal. eosdem* vocat, sive Angariorum, prout *in Annal. Francorum apud Canisium & Annal. Franc. apud Reuber. Ann. 775.* dignitas fama, nobilitas, & potentia, quippe quos non modo ad confluentes Anagri & Albis, sed & inter Amisiam & Visurgim, ut & ad Dimolam, ubi Helmershusa, quæ in diplomate Chuonradi Imper. An. 1033. testantibus supra C. 2. laudatis Monumentis Paderbornensibus locus vocatur in Pago necnon in COMITATU RAVENSBERGENSI, in quo vicus Angariæ & sedes Witikindi nostri, habitasse constat. Cæterum hujus Pagi mentionem factam esse in diplomate Henrici IV. Imp. dato Ecclesiæ Bremensi Anno MLXII. & altero dato Ecclesiæ Mindensi An. MLXIII. observat Meibomius laudato comment. de utriusque Saxonie pagis. Pagus iste juxta eundem amplissimus fuit, complectens Susatum caput gentis, Mindam, Hervordiam, Hamelam, & Lemgoviam.

Susatam quidem non ignobilis civitas Pagi 11 istius fuit, quæ postmodum tractu temporis inter reliquas ejusmodi incrementa sumpsit, ut Friderici Barbarossæ tempore in veteri Saxoniâ jus Susatense receptum sit, quod Henricus Leonovæ urbi Lubecæ in suam potestatem redactæ usurpandum tradidit, quinimo exauctorato Leone & Lubecensibus ad deditionem coactis, cives ab eodem Imperatore jura Sosatiæ sibi relinqu humiliter contenderunt, teste Arnolde Lubecensi *l. 2. c. 2.*

Cæterum Mindam Witikindo subjectam fuisse, eundemque arcem ibidem habuisse præter constantem famam & traditionem veterum testantur Chronica Mindensia tam edita, quam penes me extantia MSta. in medio interim relinquimus conjecturam plurimorum probatam quoque Sebastiano Munstero *in Cosmograph. L. 5. c. 405. p. m. 1220.* qui Mindam à Mindin, quibus verbis Witikindum, Episcopum Mindensem à Carolo Magno Ecclesiæ Mindensi datum allocutum fuisse, hisque verbis sibi & Episcopo arcem tum temporis heic sitam ex æquis partibus attribuisse tradunt, dictam, & tractu temporis in Minden immutatam scribunt, alioquin olim civitatem hanc non Minden sed Mindin dictam fuisse ex MStis. à me perlustratis 12 diplomatibus & monumentis percepi, præprimis

C

verò

verò idipsum luculentissimè probat privilegium Ottonis Imperatoris datum Ecclesiæ Mindensi Anno dominice incarnationis 961. Indict. 4. anno Regni Ottonis 22.

- Equidem Caroli Magni & Witikindi temporibus: quibus frustra dissentiente Petro Lambecio *Orig. Hamburg. lib. 1. p. 8.* jam tum urbes mænibus cinctas in Saxonia fuisse præter Eginhartum Caroli Magni Cancellarium, post  
 13 Monachum Benedictinum, atque Abbatem primum cænobii Salingenstadenfis, Virum inter  
 14 primos ejus seculi annumeratum, ut ait Cardinalis Baronius *tom. 9. ad Ann. 926. in vit. Caroli M. C. 8. p. 34.* testantur notoriæ urbes antiquissimæ Bardevicum seu Bardengavv, ut appellat Adelmus *ad Ann. 785.* Ochsenburg apud Reginonem *lib. 11.* Nigberg seu Wichteberg, ut vocat Ado Viennensis *Chron. etat. 6. p. 204.* castrum nominatissimum, in quo sub initium Regiminis Pipini patris Caroli, Hildegarium Episcopum à Saxonibus occisum scribit Regino *ad Ann. 751.* & paulò post sepultum in monte Ovesberg tradit Henricus de Hervordia *lib. 2. c. 69.* quamvis pro Viberg apud Adonem & Reginonem rectè substituatur Viberg ut intelligatur mons Vegedonis non procul, à Rema, seu Rimia pago, clarissimus Fridericus Besselius *in Animadvers. ad Eginhart. landato loco pag. m. 36.* ut nunc de munientis Sigisburgo ac Eresburgo, quæ utramque in historiâ Saxonum ferè faciunt  
 16 paginam nihil dixerim: jam tum Mindam civitatem non incelebrem fuisse, quam clarissimus Besselius *d. l.* tamen inter dubiæ antiquitatis castella cum Magdeburgo, Salingstede, pluribusque aliis refert, negari non poterit. Sane Carolum M. & Mindam venisse testatur Anthor  
 17 *Vite Caroli Magni apud Pytheum* ibi; *Rex Carolus collecto exercitu de Heristelli ad locum, qui dicitur Minda perrexit, & contra desertores inter Abim & Vvisoram peragravit totam Saxoniam,* Quinimo, postmodum Conradum secundum Imperatorem cognomento Salicum sive Salicum Mindæ per biennium cum aulâ suâ  
 18 commoratum fuisse, testatur Hermannus de Lerbeke Monachus Dominicanus domus S. Pauli Mindensis *in Chronico Comitum Schavvenburgensium pag. m. 8.* Chronicon Mindense hanc rem exposuit sequentibus verbis. *Sigebertus quintus decimus Episcopus: Iste à Conrado Secundo Imp. qui annis duobus Minda curiam solemnem in platea, que Ramp dicitur, tenuisse perhibetur, foresta in Hersterberg/ & plura alia diœcesi sue utilia anno Christi 1029. impetravit.*  
 19 Meminit ejusdem Curia Gobelinus *Etat. 6. c. 53.* & addit Imp. Conradum Mindæ procurasse eligi filium suum in Regem: cui tamen adversari videtur Wippo collocans electionem Henrici tertii in Annum 1026. Idem Hermannus de Lerbeke necnon Ertvinus Ertmannus *in Chronico Osnabrugensi,* & ante utrumque Henricus Hervordiensis monachus Dominicanus domus S. Pauli in urbe Minda rerum Saxoniarum scriptor diligentissimus memorant  
 20 Anno 1030. Adolphum nobilem à Santerle-  
 20 ve (malè Salingsleve, ut Crantzius, & cum

secutus Spangenberg alique) ex diœcesi Magdeburg. oriundum, primum Schavvenburgensem Comitem Mindæ à Conrado Imperatore factum. Agebat tunc temporis Mindæ Episcopum Sigebertus ordine 15 qui Adolpho in consequendâ hâc novâ dignitate plurimum profuit. Idem ex recentioribus tradit Cyriacus Spangenberg *in Chron. Schavvenburg lib. 1. c. 4. p. 12. & 13.* De Carolo IV. Imperatore, qui cum conjugè Augustâ Ann. 1377. 15 Novembr. Mindam venit, & postmodum inspiciendi monumenti Witikindi nostri ad causâ sanum Angariense profectus fuit, infra suo loco pluribus dicturus sum. Equidem Mindam sedem fuisse Witichindi, à quo, ut fama est, Minda insignia clavium accepit, quâ de re clarissimus Henricus Meibomius sequentes versiculos posteritati reliquit.

*Aspice florentis geminata insignia Minda  
 Tradita Regali Cesareâque manu.  
 Saxo Vvedechindus claves dedit: Arbitrator Orbis*

*Alitis apposuit signa verenda nigra.*  
 testatur præter constantem traditionem veterum, Auctor incertus Chronici Mindensis versibus capite præcedenti laudatis ibi.

*Locus iste nominatus*

*Mindin quondam incastratus*

*A quopiam Regulo*

*Vvedekindo:*

Consentiunt MSti. Annales & Chronica, & cum Senecâ teste argumentum veritatis sit aliquid omnibus videri, unde & Princeps Philosophorum id ἐνδοξον dixit, quod placet aut omnibus aut pluribus, eo minus heic dubium remanere poterit, adde quod & loca quamplurima etiamnum à Witichindo appellata idem haud obscurè probent, quò referendus propè Mindam ad nobilem amnem Visurgim situs locus Wedgenstein sive Witikindi lapis dictus, quem ad Witikindum spectasse, eundemque ibidem interdum commoratum fuisse constans fama est, ipsaque, quæ supersunt, rudera, ni fallimur, arguere videntur, idemque dicendum, si conjecturis locus, de vicino in eodem tractu prope Mindam & Wedgenstein, sito monte excelso, nemini hoc loco non notissimo, & amantate suâ nulli cedente, in cujus cacumine è saxo scaturientem fontem, & montem ascendentibus æstivo tempore aquam frigidam & gratissimam præbentem, necnon ædem sacram olim in usum monialium, ac in honorem S. Margarethæ extractam, Saxonibus nostris Margareten Clusß dictam videre licet, ut de jucundo ex alto prospectu in subjectos pagos, adiacentia prædia ac pascua, denique urbem Mindensem ipsam, fluviumque Visurgim, nec non insigni & mirum in modum afficiente repercussione vocis, quam vulgò Echo dicimus, nunc nihil dixerim. Fuit equidem Witichindus evecta in Episcopalem sedem Civitate mindensi & ædificato templo majori quod factum An. Christi DCCLXXX. de templo isto majori oblatis donariis & ornamentis

mentis testante *Chronico Mindensi* præclare meritis, quæ ipsa tamen ornamenta sub Engelberto Brunonis Principis eruditissimi, primò omnium Cancellarii Imperatoris Conradi II. deinde Episcopi Mindensis decimi sexti successore, Engelberto 17. Episc. Mind. quem Lambertus Schafenburgensis Monachus in *Chronico pag. m. 489.* Eilbertum vocat, una cum majori templo, Anno Dom. MLXII. ipso die Vincentii martyris incendio absumpta.

24 Quod Hervordiam quæ ossa Witikindi asservata advenis quondam inspicienda exhibuit, attinet, eam ad pagum Angariæ itidem spectasse supra diximus. Floruit sane Hervordia sub Carolo M. & ita quidem, ut Comitem habuisse legatur. Ultimus familiæ, cum *ἄναξ* esset, hortatore eodem Carolo, nobilium puellarum cœnobium Hervordix instituit, amplissimeque dotavit. Fundatio hæc incidit in Anno Christi 790. Postmodum Ludovicus Pius Imp. anno Regni sui sexto cœnobium hoc manumisit (sic enim loquuntur Veteres libri) & in defensionem suscepit, deinde anno 12. Imper. sui Ludovicus secundus quasdam decimales Ecclesias in diœcesi Osnabrugensi, consentiente Episcopo & omni clero, cœnobio Hervordienfi tradidit, non dixerim quomodo Cobbo Comes Teckelburgius, hoc monasterium ditavit, quâ dere lectu digna extant in *Chronico Osnabrugensi Ertvini Ertmanni*, neque de everfione Cœnobii per Hungaros facta: & secuta ejusdem instauratione de qua Gobelinus in *Cosmodr. Act. 6. t. 52.* cum hæc ab instituto nostro paulo aliena videri possint. Equidem Hamelam urbem Ducatus Brusvicensis notissimam (quam Helmoldus *lib. 1. cap. 43.* vocat villam publicam: Auctor vitæ Vicelini vicum ibi. *Saxonia vicus Quernhamele sit benedictus*: ) itidem ad pagum Angariæ spectasse supra observavimus, ac præterea probat sequens, quæ ibidem extat, de Comitibus Angariæ cippi inscriptio à me adducta in tractatu de præminentia, sessione, præcedentia, & universo jure *Opoesplas* Magnatum in Europa *lib. 4. c. 20. n. 6. p. 750.* ibi.

ANN. DOMINI D. C. C. XII. BERNHARDUS COMES, CHRISTINA COMITISSA REGNI ANGARIÆ DE OSTEN, FUNDARUNT HANC ECCLESIAM.

27 Sane cum Crantzio teste Widekindus ejusque posteri usque ad Ludolphum (Sigebert. *ad Ann. 860.* Leucolphum Ducem Saxon. appellat) domicilii seu aulae sedem fixam & immutatam in Westphaliâ habuerint, eo minus de prædictis civitatibus ad Pagum Angariæ spectantibus, ut & Lemgovia, dubitandum, quinimo Witikindū præterea Principem Rugiæ, ac Dynastam Iburgi fuisse constat, traditq; ex recentioribus Elias Reufoerus in *præclaro opere Genealogico in Stemmate primo Stirpis inclytæ VVitikindeæ p. m. 260.* Gobelinus Persona in *Cosmodromio Actat. 6. c. 38. p. m. 189.* Witikindum & castrum in diœcesi Osnabrugensi habuisse, posteritati reliquit.

Unde in diœcesi Osnabrugensi, ait, ab ipsâ civitate per dimidium milliare patriæ ruine castri VVitikindi adhuc demonstrantur. Ibi collis quidam fossatis altis interclusus murorum fragmenta demonstrat. Hæc Gobelinus *d. l.* Digna ut heic quoque legantur verba clarissimi Hermannii Hamelmanni in *delineatione urbium & oppidorum Westphaliæ. In vicinia urbis Osnabrugensis, ait ad dimidium milliare prope Rullam monasterium Monialium non procul a villa rustici de Osteringe, extant vestigia veteris arcis VWedekindi dictæ adhuc die Wiedekesburg apud stagnum miraculosum, fundo & altitudine, ut ajunt, carens, à quo non procul est alius puteus ei similis, Der grundlose Kolk.* Scribit autem Rolevingius quod conversus VWedekindus & jam recepta suâ arce pupæ Osnabrugum curaverit edificari Ecclesiam nomine Bethlehem. Hæc Hamelmannus *d. l.*

Porro ad pagum Angariæ spectavit vicus Engern/ oppidum olim non incelebre, quod tempore belli Saxonici, cujus adversus Francos auctor & Dux fuit VVitikindus noster in potestatem Caroli M. devenit. Sed cum Christianam religionem amplexus VVitikindus cum Carolo pacem fecit, Angaria ad ipsum rediit. Quæ cum deinde cum reliquo Saxonix & Westphaliæ Ducatu aliquoties Dominos mutasset tandem post calamitatem fortissimi Principis Henrici Leonis, quem Annales Rithmici den grossen Löwen von Braunschweig vocant, ac de quo haud verosimilia memorat paulòque incivilius loquitur Gotfridus monachus *ad Annum 1189.* cessisse Comitibus Lippiensibus perhibetur. Ex his Simon Bernardi Filius acerrimas cum Osnabrugensibus similtates habuit, & An. 1299. ex arcibus Angaria & Rheda magnis eos cladibus affecit. Quas injurias Ludovicus Osnabrugensis Episcopus è Comitibus de Ravensberg vindicaturus, Simonem prælio victor cepit, Osnabrugamque deduxit, nec non durâ in custodiâ ferè per sexennium detinuit, donec Anno 1305. die S. Kilians in Scottmar, eâ inter alias, conditione liberatus ut Angaria arcem & mœnia solo æquaret, prout testantur Chron. Osnabrug. Hermannus Hamelmannus in *Genealogiâ Comitum Lippiens. & Rein. Reineccius in comment. de Angaria.* sequentia subjicit: Interea tamen jus, nomen & magistratus civitatis Angaria retinet, cum alioquin plane vicum referat, mansit & colli, in quo arx sita fuit, nomen: appellatur enim die Burgstede Collis autem, in quo positum est sanum S. Dionysii, quod unâ cum Collegio Canonorum VVidichindus illic condidit eo, qui arcem habet, editior est. Illo in fano mausolæum habere VVidichindum nostrum constat.

Porro & ad VVitikindum castrum Iborch, quod inter eminentiora castella Saxonix refert ex recentioribus sæpius laudatus Ertvvinus Ertmannus Consul Osnabrugensis in *Chron. Osnabrug. MS.* spectasse tradunt scriptores; Hoc castrum à Carolo M. anno regni sui VII. occupatum fuisse, memorat Gobelinus Persona Ertvino antiquior. in *Cosmod. atat. 6. c. 38.* Conf. Theodoricum

ricum Engelhusium in Chron. Crantzium lib. I. Metrop. cap. II. pag. 24. Hermannum Hamelmannum de antiqua Westphalia, aliosque. Quibus subscribit Gerhardus Cleinforgius in Anal. MS. Westphal. ad annum 776. Carolus M. ex Italia redux, exercitu in Saxoniam rebellem ducto, Iburgum seu Driburgum, aliaque Saxonum munimenta & castella expugnavit, & prope Luppia fontes castra habuit. Hæc Cleinforgius d. l. Colophonis loco non prætereundum hoc loco Angrivariam olim in superiorem & inferiorem divisam fuisse, quoad terminos & limites verò discrepantes scriptorum extant sententiæ, quas inter tamen non rejicienda illa eruditissimi multæque lectionis Viri Johannis Justi Winkelmanni in Notitiâ Veteris Saxo-Westphalie l. 1. c. 6. n. 63. cujus verba non indigna, ut subjiciantur, In Angrivariâ Superiori fuit Metropolis Susatum, & complexa est in se Surlandiam, versus Tencteros, circa Comitatum Nassoviensem: item sub se continet Comitatus & Baronatus Arnsberg, Vvaldeck, Limborch, Altena, VVerle, Aren, Bilstein, Itter, Bûren & Boick. Item partem diæceseos Paderbornensis, ut Fürstenberg VVarburg, Dringenberg, & similes Præfecturas, & extendit se usque ad Hassia terminos. Ducales olim ibi sedes erant Susatum, Morsburgum, (aliàs Eresburgum) Arensburgum, Berga, Isenberg, prope oppidum Corbachium, Altena, VVarburg, Fürstenberg, Dringenberg, &c.

Angrivaria Inferior habebat primarium locum Ochsenburg, hodie Osnabrugam, tempore Julii Casaris à Brucheris edificatam. Hæc Regio extendebatur ad Visurgim usque ad Frisiam Orientalem, & sub se comprehendebat Episcopatus Osnabrugensem & Mindensem. Item Comitatus & Dominia ab hac parte Visurgis, videlicet partem Diæceseos Paderbornensis, ut Beveren & similia, quæ circa Visurgim sita sunt, Abbatiam in Corbeja; Item Comitatus totos: ut Oldenburgicum, Delmenhorstensem, Vechtensem, VVildeshusensem: Burggraviatum Strombergicum, Ravensburgicum, Svallenburgicum, Sternebergicum, Hervordianum; Item Dominia Holte, Dissen, Dipholticum, Vlote, & partem Comitatus de Lippia, ubi nunc est Deitmoldia, Lemgovia, & Præfectura sive Satrapia Furnholte. Et quæ ab altera parte Visurgis sunt, cum prioribus contigua, & pertinent modo sive subsunt Comitatus Schauenburgico & Hoiensi. Erant in ea Ducales sedes Engern (olim urbs & arx, jam verò pagus) VVildeshusen, Iborch, Minden, Stromborch, Vlote, Ravensburgum, Deipholte, Ditmoldia, Sternebergum, Schwallenborch & Holte, &c.

## CAPUT V.

### *De Witikindi rebus adversus Carolum M. Imperatorem diuturno bello germanico præclarè gestis.*

#### SUMMARIA.

- I. Varia Francorum Reges ante Caroli M. tempora bella cum Saxonibus gesserunt. 2. Crudeles expeditiones Dagoberti Regis Francorum contra Saxones referuntur. 3. Bellum à Pipino contra eosdem gestum. 4. Nullum bello Saxonico sub Carolo M. neque prolixius, neque atrocius, Francorumque populo laboriosius. 5. Causæ belli suscepti quænam? 6. Belli Saxonici contra Carolum M. Dux Witikindus. 7. An Witikindus primus belli Saxonici Dux? 8. Notatus Fabricius totum belli Saxonici tempus Witikindo tribuens. 9. Witikindi res gestæ bello Saxonico in genere laudantur. 10. De Carolo M. fugam arripiente adducta verba Gobelini. 11. De Præliis Caroli M. cum Saxonibus. 12. Prior pugna commissa ad

ad Dietmelle oppidum Westphaliæ. 13. Quod olim Teutoburgum dictum cladeque Variana nobilitatum. 14. Emen-  
datus locus in Annal. Fuldensibus Pithoei ac Freheri. 15. Quo  
anno finis diuturno bello Saxonico impositus? discrepantes  
extant scriptorum sententiæ. 16. Danubius limes Romani  
Imperii ad septentrionem, terminusque fatalis victoriarum  
Romanis. 17. VVitikindus Francos in prælio ad montem  
Sunthal commisso magnâ clade prostradit.

**C**æterum ad rerum belli præsertim tempore pro libertate Saxonum & Westphalorum à Magno VVitikindo nostro præclare gestarum momenta transeuntes, præmittendam ducimus, varia Francorum Reges ante Caroli M. tempora bella cum Saxonibus, diversis temporibus gessisse, in quibus licet sæpius victores extiterint, nunquam tamen plane fortissimam gentem subjungere potuerunt, unde ipse Carolus Magnus  
1 in diplomate ad Trutmannum Westvalie Comitum; notis historicis à me in Opusculis Variis illustrato, fatetur Progenitorum suorum temporibus Saxones semper indomabiles fuisse. Ut non commemorem modo tot bella inter utramque gentem gesta, tot clades; potissimum relatu dignæ expeditiones, quibus Dagobertus Rex Francorum Saxones infestavit. Prima istarum pertinet ad Annum Christi 630. quo tempore, cum Dagobertus victor extitisset, eâ in Saxones crudelitate bacchatus est, ut omnes, qui staturâensem ipsius superarent, interfici iussit testibus Aimonio lib. 4. & Sigeberto in Chronic. Altera secuta est anno duodecimo post, nec meliore fortunâ à Saxonibus certatum. Itaque Dagobertus certi pecoris annum vectigal genti indixit. Sub Pipino patre Caroli Magni iterum novi motus, novaque bella inter utramque gentem orta, in quibus itidem Saxones adverso Marte pugnarunt, pacem petere coacti hisce conditionibus ut in anniversario Francorum conventu 300. equos tributi nomine adducerent. Hoc jugum cum Saxonibus genti triumphatæ magis quàm victæ vel Tacito teste in libello de moribus Germanorum intolerabile esset, gravissimum sub Carolo Magno bellum exortum, quod tantâ pertinaciâ, tantâ animorum contentione gestum, ut demum Anno 33. eadem finis impositus fuerit.

Quæ omnia satis fideliter posteritati narravit Eginhartus de vit. Caroli Magni cap. 7. per tot. ubi tradit, nullum hoc bello Saxonico, neque prolixius, neque atrocius, Francorumque populo laboriosius susceptum esse. Causas belli suscepti Idem d.l. sequentibus verbis exposuit. Suberant, ait & cause, que quotidie pacem conturbare poterant, termini videlicet nostri & illorum pene ubique in plano contigui, præter pauca loca, in quibus vel silvæ majores, vel montium iuga interjecta, utrorumque agros certo limite disterminant, in quibus cedes & rapina & incendia vicissim fieri non cessabant. Quibus adeo Franci

sunt irritati, ut jam non vices reddere, sed apertum contra eos bellum suscipere dignum judicarent. Susceptum est igitur contra eos bellum, quod magnâ utrinque animositate, tamen majore Saxonum, quàm Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur. Hactenus Eginhartus laudato loco, ex cujus verbis colligere licebit, bellum quidem à Carolo M. & Francis potissimum ab initio regionis causâ susceptum, deinde verò ultimum telum, Religionem rem imperiofissimam adhibitam, à Saxonibus verò bellum istud magnâ fortitudine gestum fuisse. In Bello tam diuturno ac gravissimo quin prima fuerit apud Saxones persona, Witikindus, non est quod dubitemus, cum eundem Ducem belli agnoscant fidelissimi rerum Germanicarum scriptores, licet veteres, quos inter Eginhartus, ab initio belli truculentissimi non statim ejus meminerint. Sane Boiorum Salustius Aventinus non uno in loco primum concisorem belli Saxonici Witikindum facit. Fabricius orig. Saxon. lib. 4. pag. 425. totum belli tempus eidem tribuit, parum accuratè, cum ipsemet teste post Annum 786. impermixtus bello in fide manserit Witikindus, quod & Erpoldo Lindenbrogio in Chron. Caroli M. placuit. Cæterum Imperterrita virtus Witikindi, Principis fortitudine admirandâ, constantiâ invictâ, & amore erga patriam præstantissimi, indomitum ejusdem robur, omnique clade supereminens animus majores ejusdem omnes, ac Duces gentis Saxonice belli hujus gloriâ vicit & si non semper de hostibus, de fortunâ triumphavit. Et quamvis scriptores rerum Germanicarum fortia Witikindi Magni facta suppressere, è contra Caroli Magni res gestas mirum in modum extollere, omniaque ad gloriam & laudem ejusdem referre, nullum non moverint lapidem, fateri tamen demum vi veritatis coacti fuere, Witikindum & patriæ libertatem, ad quam propugnandam quasi natus videbatur, strenuè defendisse, & Francorum ditiones profligato eorundem exercitu igne ferroque devastasse, Testatur hoc ipsum laudatus Eginhartus qui licet d. c. 7. nullam Witikindi faciat mentionem, negare tamen non potuit, magnâ fortitudine à Saxonibus bellum tam diuturnum gestum fuisse, Duce verò Magno Witikindo id ipsum factum, tradunt Witikindus Monachus Corbeiensis, Regino Abbas Prumiensis, Gobelinus, alii, omitto recentiores, quos in re adeo notâ provocatâque adducere opus non erit. Sane de Carolo  
D Magno

10 Magnò fugam arripiente sequentia posteritati reliquit Gobelinus Persona in Cosmodromio *Aetat.* 6. c. 38. p. m. 188. *Carolus quâdam vice*, inquit, à Saxonibus usque ad flumen *Magonum fugatus*, dum quâ parte aquæ vadum posset habere, plurimum hesitaret, statim quâdam Cerva apparuit, & flumen coram eo pertransiit, quam Carolus cum exercitu sequens flumen transiit, & inimicos evasit: Et fertur Carolus dixisse: *Melius est dicere: Carolus fugit coram inimicis, quàm Carolus interfectus est ab inimicis. Et ex illo transitu locus ille dictus est vulgari- ter Franckenword, idest vadum Francorum.* Haftenus Gobelinus d. l. quam relationem tamen scriptoris, & historici non coætanei in medio relinquimus, præsertim cum Eginhartus de vitâ Caroli M. C. 8. tradat Carolum M. non amplius cum Saxonibus, quàm bis acie conflixisse. Hoc bello, licet per multum temporis spacium traheretur, inquit, ipse non amplius cum hoste, quàm bis acie conflixit, semel juxta montem, qui Osneggi dicitur, in loco Thietmelle nominato; & iterum apud Asam fluvium, & hoc uno mense, paucis quoque interpositis diebus. His duobus præliis hostes adeo profligati ac devicti sunt, ut ulterius Regem neque provocare, neque venienti resistere, nisi aliquâ loci munitione defensi, auderent. Hæc Eginhartus d. l. Sane utriusque pugnae meminere Aimonius *lib. 4. c. 75.* ac Regino *lib. 2. Anno 783.* Locus prior Thietmalle sen Dietmelle oppidum Westvaliæ, hodie etiam non ignotum, quod olim Teutoburgum dictum, cladeque Varianâ nobilitatum evidentissimis argumentis demonstrat eruditissimus Philippus Cluverius *lib. 3. Germ. Antiquo. c. 19.* Posterior prope Asam

11

12

13

seu Hasam (sic enim observante M. Friderico Besselio in *annotat. ad d. l. Eginharti* rescribendum erit in *Annal. Fuldensibus Pithoci ac Freheri*, ubi vulgò legitur Bala) fluvium, ad Meppen oppidum Westvaliæ in Amasin se exonerantem.

Cæterum bello truculentissimo Duce præprimis Witikindo contra Carolum Magnum gesto Anno demum trigesimo tertio finem impositum fuisse testatur Eginhartus, ac licet Adamus Bremensis *lib. 1. c. 7.* ex annis 33. annos 30. referat, attamen alibi *lib. 1. c. 12.* triginta tres annos disertè memorat, cui suffragantur Poëta Saxonicus *de vit. Caroli M. ad Ann. 803. Indiçt. 10.* Marian. Scot. *l. 3. Ann. 775.* Incertus Auctor *vita Ludovici Pii p. 346.* & Hel- mold. *Chron. Slav. l. 1. c. 3.* In hoc bello diuturno à Witikindo nostro vario Marte cum Carolo M. pugnatum, eandemque modo victum, modo victorem, ut anceps esse solet fortuna belli recessisse, vetant nos dubitare rerum Germanicarum scriptores, quinimo Witikindum cum exercitu suo & selectissimâ Saxonum manu à Sala ad Rhenum usque (qui olim cum Danubio limes Romani Imperii ad septentrionem, terminusque fatalis victoriarum Romanis erat, quem excedere non magis quàm Parthicum Persicumve possent, testibus Appiano, Claudiano, aliisque à me in *commentario meo historico-philologico-juridico ad l. Ἀξιόσις D. de L. Rhodiâ de jactu c. 10. n. 22. p. 173. & 174.* adductis) omnia, quæ Franci possidebant igne ferroque vastasse: à Turcio usque ad Confluentiam omnia diripuisse incensis domiciliis & trucidatis hominibus: Francos denique in prælio ad montem Sunthal commisso, magna clade prostravisse, in subsequentiis pluribus exposituri sumus.

14

15

16

17

## CAPUT VI.

### *De Expeditionibus bellicis Witikindi ab Anno Christi 772. usque ad Annum 777.*

#### SUMMARIA.

1. Eresburgum opidum à Carolo M. primò omnium expugnatum.
2. Quæ nam tum temporis in tractu Westphalico præcipua fuerint castella?
3. Demolitioni famosi idoli Saxonum, Irmensul dicti totum triduum impensum.
4. Adducta hæc de re testimonia Henrici de Hervordia Annalium Fuldensium, aliorumque scriptorum Germanicorum.
5. Variæ appellationes idoli Irmensul.
6. An fuerit statua Mercurii vel Martis?
7. Laudatur conjectura Gerardi Johannis Vosii hæc de re.
8. Locus cladis Varianæ.
9. Quale fuerit idolum Irmensul?

ful? 10. Saxonum bella adversus Carolum M. Anno 774. & sequentibus gesta. 11. Adducta eâ de re testimonia Reginonis Prumiensis Abbatis, Annalium Fuldensium, Sigeberti, Magni Chronici Belgici, & Fabricii. 12. Caroli M. ultricia arma è contra arrepta. 13. Expeditiones Caroli M. adversus Saxones ab Anno Christi 775. 14. Caroli M. nova irruptio in Saxoniam. 15. Saxones Duce Witikindo Eresburgum obsidione cingentes prodigio duorum clypeorum sanguineo colore flammantium consternati discedere coacti fuere. 16. Quo anno idipsum factum, laudataque Reginonis hæc de re verba. 17. Saxones baptizati excepto Witikindo. 18. Saxonum promissa circa servandam fidelitatem.

**P**Ræcedenti capite de rebus à Witikindo durante bello illo diuturno contra Carolum Magnum gesto præclare gestis in genere diximus, restat, ut in specie de expeditionibus Caroli M. contra Saxones, & quantâ fortitudine Witikindus libertatam patriæ propugnarit paucis pro instituti ratione agamus. Et verò primò omnium constat Carolum M. bellum Saxonicum aggredientem Eresburgum opidum, in quo ad bellum feliciter gerendum multum erat momenti, sibi delegisse expugnandum. Erant tum temporis, ut Ertvvinus Ertmannus Consul Osnabrugensis (qui teste solertissimo rerum Westphalicarum indagatore Hermanno Hamelmanno in delineatione Urbium & oppidorum Westphaliæ aliquot Episcoporum Westphalicarum nomine legatum egit ad Concilium Basiliense, ubi sua latinis verbis solentiter expedivit, sunt verba Hamelmanni) in Chronico suæ diœcesis scribit, tria præcipua & eminentiora castella, videlicet Herisburg in Saxoniam Hassionumque situm confinio: Sigiburg super Ruram fluvium positum, & Iburg: quod ex jucundo situ terrarum egregium fuisse nemo dubitet. Hæc propugnacula Carolus per intervalla sui juris fecit. Ad Eresburgum igitur, ut ad priora revertamur, Carolus M. ex animi sententiâ egit, quod voluit, expugnato enim primo impetu firmissimo hoc propugnaculo Eresburgo, sive ut cum aspiratione scribunt Widechindus Corbeienfis lib. 2. Sigebertus Gemblacensis ad Annum 772. & 941. alique Heresburgo, destruxit famosum illum idolum Saxonum Irminful dictum, cui demolitioni totum triduum impensum ferunt, parte exercitus alia laborem urgente, aliâ contra hostilem vim & impetum in armis stante. Rem totam ita narrat Henricus de Hervordia. Karulus Rex, ait, congregato Vormaciæ exercitu Eresberg castrum, quod nunc Mersberg dicitur, cepit, & ipsum fanum destruxit, & omne argentum, quod ibi reperit, abstulit, idolum vix per triduum evertit. In cujus destructione, cum in eodem loco per triduum moraretur, contigit,

ut propter continuam cæli serenitatem deficcatis omnibus illius loci rivis & fontibus aque ad bibendum inveniri non possent, sed subito divinitus, ut creditur, in cujusdam torrentis concavo tanta vis aquæ eruperat, quiescentibus cunctis tempore meridiano, ut omni exercitui sufficeret. Tunc Rex idolo destructo arbitratus se Saxoniam domuisse, VVyseram fl. accessit, ibique acceptis à Saxonibus XII. obsidibus recessit. Hactenus verba Henrici de Hervordia. Haud verò Henricum Hervordiensem comitari dignetur tradita Annalium Fuldensium ad Annum DCCLXXII. ibi. Carolus Saxoniam bello aggressus, Eresburgum capit, & idolum Saxonum, quod vocabatur Irminful destruit. Conf. Eginhardum ad Ann. DCCLXXII. Sigebertus & ex eo Auctor Magni Chronici Belgici referunt, siti laborante exercitu Caroli subito in torrente largissimas aquas divino nutu effusas esse, sane de destructo adduntque idolo Irminful (ut vocant Ditmarus Mersburgensis, Hermannus Contractus alique vel Irmindful ut Albertus Stadenfis in histor. Ecclesiast. lib. 1. c. 6. & Caspar Barthius lib. 4. Adversar. cap. 7. aut Hermanfaul, vel Hormensul, quomodo hoc idolum appellatur à Sigeberto Gemblacensi) videantur præter Annales Francicos Fuldenses modo laudatos Ditmarus l. 2. Aimonius de gestis Francorum l. 4. c. 69. Lambertus Schafnaburgensis Monachus, Hermannus Contractus, Conradus à Lichtenavv Abbas Urspergensis, omnes ad Annum 772. Irminful plerique, qui proximis seculis vixerunt, interpretantur Mercurii statuem: ut sit ex Gysmen/ & Gysle/id est columna. Alii quasi idermañs Gysl/hoc est cujusvis columna, sive universalis, omniaque sustinens columna: Posteriusest in Chronico Conradi à Lichtenavv p. 103. Sed Albertus Crantzius Saxonie suæ lib. 11. cap. 9. eò magis inclinatur, ut Mars fuerit: eoque interpretatur, Idermañs: Geyl/hoc est Mars communis: non quasi Geyl/proprie esset Mars; sed quia proprie esset asyllum, unde κατ' ἀπορίαν

7 *ov* *Suyl*; pro alylo autem esset statua non Mercuris, sed Martis: pro quâ sententiâ facit, quod statua illa esset. Et toto corpore armati. Georgius Fabricius in *Saxonia sua*, cum antea dixisset, *IrminSuyl* Mercurium esse p. 93. postea p. 426. ambigit, sitne Mars, an Mercurius. Interim ne hæc quidem opinio caret controversia. Gerardo Johanni Vessio lib. 2. de origine *Idololat.* c. 32. arridet Georgii Spalatini conjectura, statuam hanc fuisse constitutam Hermanno, sive ut Romani vocitabant, Arminio, inclyto ac fortissimo Germaniæ heroi, quem sempiternam apud posteros constat sibi parasse gloriam clade *Varianâ*, in qua periit *Quintilius Varus* magnæ Germaniæ præfectus cum tribus legionibus Romanis, Tacito teste l. d. *morib. Germ.* quæ sunt 20. millia militum juxta *Chytræum*, quibus *Vellejus* lib. 2. tres alas & sex cohortes addit, summam quinquaginta millia virorum statuunt recentiores, locum cladis inter *Amisiam* & *Lupinam*, haud procul à *Teutoburgensi* saltu fuisse, eundemque *Germanicum Cæsarem* in peregrinatione & expeditione suâ spectasse tradit *Tacitus*. *Amisiam* *Joann. Freinsheim.* capit non pro flumine, sed uti approbat. *Jo. Schild.* l. 1. de *Caucis* c. 10. pro vico & castello. *Ph. Cluverius* l. 3. ant. *Germ.* c. 3. *Amisiam* & *Lupinam* amneis vocat, & addit: *Quintilius Varus* cum tribus legionibus cæsus ab *Arminio Cheruscorum* duce, inter oppida *Diethmelle* & *Horn*. Porro *Idoli Irminis* templum sive basilica (*Græci εἰδώλειον* vocant, videatur *Caspar Barthius* lib. 4. *Advers.* c. 7.) fuit in veteri *Saxonia*, loco prælaudato  
 9 *Eresburg* dicto. Hoc simulachrum sive idolum quale fuerit, describunt *Crancius* lib. 2. *Saxon.* c. 9. *Georgius Fabricius* lib. 6. *Originum Saxon.* adde *Martinum Crusium* parte 1. *Annalium Suevial.* 12. & *Casp. Barth.* d. l. 4. *Advers.* c. 7. qui tradunt *Irminisulam* idem esse, quod statuam *Hermis*, idest *Mercurii*, de quâ *Irminisulâ* *Saxonica* peculiare scriptum lectu dignum posteritati reliquit clarissimus *Henricus Meibomius*. Sane hujus idoli partem aliquam hodiernum videre licet *Hildesis* in templo Cathedrali asservatam.

Cæterum ut ad priora revertamur, licet *Saxones* ad inopinatum infortunium perculsi cum victore datis obsidibus pacem fecerant, tamen cum periclitari libertatem viderent, per absentiam Regis *Karoli* præsidarios in arce relictos, tandiu oppugnando fatigarunt, donec se dederent: quò factò muri à *Carolo Magno* circumducti à *Saxonibus* diruti soloque æquati fuere, neque his contenti *Saxones* Duce *Witikindo* *Francos* ipsos oppugnare non dubitarunt, arreptis contra *Carolus M.* ulticibus armis. Factum id Anno Christi 774. duobus annis post subversionem *Idoli Irminisulæ*, cujus destructio in Anno Christi 772. qui est primus belli *Saxonici* in *Comitiis Wormaciensibus* decreti, & *Karolo M.* feliciter auspicatoque suscepti. Oppugnationem hanc & irruptionem *Saxonum* *Witikindo* Duce in *Francorum* ditiones sequentibus verbis posteritati reliquit *Regino*

*Prumienfis Abbas* l. 2. *Chron.* Anno Domin. incar. 774. Rex (*Carolus Magnus* scilicet) dum in illis partibus pro hujusmodi negocio moram faceret, *Saxones* occasione acceptâ, postpositis sacramentis, in sinibus, *Francorum* impetum fecerunt, & usq; ad castrum, quod nominatur *Buriaburgh* venerunt, quorum adventum incolæ loci persentientes, in jam dictam munitionem se receperunt. Igitur cum præfata gens sæviens cæpisset forinsecus villarum ædificia concremare, venerunt ad quandam basilicam in loco, qui dicitur *Friedislar*, quam sanctæ memoriæ *Bonifacius* martyr consecravit, atque per prophetiæ spiritum prædixit quod nunquam incendio cremaretur. Cæperunt autem præfati *Saxones* omni intentione certare adversus eandem basilicam, quemadmodum eam per quodlibet ingenium igne cremare potuissent. Et dum hæc agerent, apparuere quibusdam *Christianis*, qui erant in castello, simul quibusdam *paganis*, qui in eodem erant exercitu duo juvenes in albis vestimentis, qui ipsam basilicam ab igne protegebant, & propterea non potuerunt neque interius ignem accendere. Interea divina majestatis pavore perterriti in fugam conversi sunt, nemine persequente. Hæc *Regino* d. l. *Conf. Annales Fuldenses* ad Ann. DC. CLXXIV. ibi. *Saxones* in *Hessis* *Francorum* terminos populantur. Erat autem ibi in loco, qui vocatur *Friteslar* basilica, quam *S. Bonifacius* martyr olim dedicans, prophetico spiritu nunquam igne cremandam esse prædixit. Cui cum pagani toto nisu ignem supponere conarentur, divino pavore perterriti fugæ præsidium sumunt. Videatur *Sigebertus* ad hunc Annum, cujus verba repetit *Magnum Chron. Belgicum*. Nonnulli ad *Mænum* penetrasse *Saxones*, & *Saxenhusam* oppidum è regione *Frankofurti* condidisse scribunt. Vid. *Fabricium originum Saxonicarum* lib. 4. & *Spangenbergium Chron. Saxon.* cap. 73. Cæterum *Carolus* ex Italia rediit, cum in *Franciam* redisset, auditis novis *Saxonum* motibus, misit, ut *Regino* d. l. loqui-  
 12 tur quatuor scaras in *Saxoniam*, quæ tres pugnas cum *Saxonibus* inierunt, & *DEO* auxiliante victores extiterunt. Quarta verò scara non habuit pugnam, sed captâ prædâ magnâ reversi sunt in *Franciam*. Hactenus *Regino* laudato loco.

Sequenti Anno Christi 775. renovatum bellum inter *Karolum Magnum* & *Saxones* *Carolus M.* enim *Saxones* ulturus, vastatis eorundem pagis, captoque *Sigisburgo*, necnon, casis *Saxonibus*, *Orientalibus* *Saxones*, Duce *Hassione* ad *Ocrum* fluvium supplices datis obsidibus in gratiam recepit: quod exemplum *Angrivarii* una cum *Brunone* Duce suo *Witikindi* fratre



14 tre secuti sunt. Lubet heic audire Reginonem. Anno dominicæ incarnationis 775. ait Regino, Rex habuit Synodum in villâ, qua dicitur Duria, & inde Saxoniam pergens Sigiburgh castrum cepit, Heresburch readificavit, super Vuisaram fluvium venit in loco, qui dicitur Brunisberg, ubi occurrerunt ei Saxones volentes ripam supradicti fluminis defendere, auxiliante DEO, & Francis decertantibus, fugatis Saxonibus, Franci ambas ripas occupaverunt, & multi Saxones occisi sunt. Hæc Regino d.l. qui ibidem narrat, Saxones tum Orientales tum Angrivarios postmodum ad Carolum M. venisse, & datis obsidibus juramento præstito fidelitatem promississe. Eodem anno Saxones cum Francis, qui, ut Regino loquitur, super fluvium Uvisara remanserant, prælium commiserunt, ast eventu parum prospero, quo facto iterum exercitus Caroli Magni in Saxoniam irruens, factâ ingenti strage Saxones ita contrivit, ut datis obsidibus fidelitatem promittere coacti fuerint. Carolus Magnus hisce peractis Italiam ingressus erat ad reprimendos motus Rotgandi Longobardi, quam occasione cognitâ absentiam Imperatoris arripientes Saxones, Duce Witikindo in pristinam libertatem se vindicare voluere, 15 arreptis armis castrum Eresburgum obsidione cingentes, idque summis viribus oppugnantes, eodem iterum potiti fuere, quamvis Regino alijque oppugnatum quidem, sed non expugnatum Eresburgum scribant, quod prodigio duorum clypeorum sanguineo colore flammantium consternati Saxones, re infectâ abierint, cujus prodigii mentionem etiam faciunt versiculi de Carolo scripti.

*Divino clypei super urbem sole rubentes  
Absterrent hostes conversa cade furentes.*

16 Facta hæc Anno Christi 776. Carolus M. eodem anno compositis motibus in Italiâ abortis, in Saxoniam habito prius Wormatiæ conventu publico tendens, velut ingens tempesta, ut iterum utar verbis Reginonis, omnia prosternit, munitiones irrumpit, Saxones perterriti ad locum ubi Lippia oritur, venerunt, ibi se suamq; patriam Regi tradiderunt, & sponserunt se Christianos esse debere. Tunc Rex una cum Francis restauravit Heresburgh castrum, & aliud castrum super Lippiam, ubi venientes Saxones unâ cum uxoribus, & parvulis innumerabilis multitudo baptisati sunt in nomine sanctæ Trinitatis. Post

hæc obsides, quantos Rex expetiit, dederunt, reformatis autem castellis, custodiisq; dispositis, Carolus in Franciam revertitur. Hæc Regino lib. 2. Chron. ad Annum Christi 776. Idem de Eresburgo munito, ac in ripa Lippiæ contra excursiones hostium novo extructo propugnaculo tradunt reliqui scriptores rerum Germanicarum, nomen tamen posterioris propugnaculi non exprimentes. Henricus tamen de Hervordia supra aliquoties laudatus, quem sequitur Rolevincius Bechtelaer appellatum scribit, & prius Witikindi Regis nostri fuisse, nomen id interpretatur clarissimus Meibomius in Irminsulâ Saxonum castra pugnæ. Nam Bechten priscis Germanis & hodiernum est prælio decertare. Per verò vel Lar sedes vel castrum significat, voce Leger vel Lager dissyllaba more Germanico in monosyllabam contracta, sic Goflar castra sive habitationem ad Golam fluvium, Triflar/cujus meminere Annales Francici ad Annum 774. castra pacis significant.

Quæ sequenti Anno 777. Carolus M. devotus 17  
Saxonibus in Saxonia gessit, exponit sæpe laudatus Regino sequentibus verbis. Ann. Dom. incarn. 777. Rex Saxoniam ingressus, placitum tenuit in loco, qui dicitur Paderbrunna, ubi omnes Saxones conveniunt, excepto VVIDICHINDO, qui cum paucis Saxonibus in partibus Nortmanniæ confugit. In eodem etiam loco venerunt Saraceni de partibus Hispania, quorum hæc sunt nomina, Ibina, Iurabi, & filius Denizesi, qui Lamme Ioseph nominabatur, & gener ejus, ubi etiam multi Saxonum baptisati sunt, & sacramenta secundum consuetudinem dederunt, ut perderent ingenuitatem & omnem hereditatem, nisi conservarent susceptam Christianitatem, & promissam fidelitatem Regis & filiorum ejus nec non etiam & Francorum. Hæc Regino d. l. Conf. Annales Fuldenses. Saxones post multas 18  
cædes & varia bella afflicti tandem Christiani effecti, Francorum ditioni subduntur, & conventus in Saxonia habitus, in loco, qui vocatur Pada-brunno. Ibi Saxones baptisati ingenuitatem & omnem proprietatem suam secundum morem gentis abdicantes, Regi tradiderunt, si à die illâ & deinceps Christianitatem, & Regi ac filiis ejus fidelitatem abnegassent. Sigebertus idem tradit. VVintichindus Dux Saxonum, inquit in Normanniam fugit. Saxones baptisati paciscuntur, ut ingenuitatem suam & omnia sua perdant, si unquam à fidelitate Christi & Regis desistant.

E

CAPUT

CAPUT VII.

*De Bello Witikindi adversus Carolum M.  
ab Anno 778. usque ad Annum 780. gesto.*

SUMMARIA.

1. VVitikindi & Saxonum omnia cædibus & incendiis devastantium irruptio & adventus ad Duriam castrum.
2. VVitikindus prælio commisso devictus.
3. Quo anno hoc ipsum factum?
4. Laudata hæc de re verba Abbatis Urspergensis, & Sigeberti.
5. Caroli M. adventus ad Lippiam.
6. Ejusdem prælium cum Saxonibus in loco Bucholtz commissum, præliique eventus.
7. VVitikindi virtutes insignes.

**S**ubjugata jam prorsus videbatur Saxoniam, ideoque Carolus Magnus Hispaniam ad reprimendos Saracenos relicta Saxoniam Anno sequenti 778. ingressus fuerat, ast quia nondum devictus magnus Witikindus Dux Saxonum, princeps invicti animi, & propugnator patriæ libertatis incomparabilis, qui rebus in angustiis animosus atque fortis, tamdiu in partibus Nortmanniæ commorabatur, donec Carolus Magnus Saxoniam relinqueret, non prorsus conclamata videbatur libertas Saxonica. Witikindus igitur arreptis armis, profligatis copiis Caroli M. omnia devastans usque ad Duriam castrum pro libertate Saxonum defendendam nihil intactum reliquit. Lubet hæc audire Reginonis Abbatis Prumiensis verba. *Interea Saxones, ait, svadente VVITICHINDO, secundum consuetudinem iterum rebellati sunt, & ad Duriam castrum (quod Colonia Civitati contiguum est; usque venerunt, cædibus, rapinis & incendiis omnia devastantes.* Carolus M. cladem suorum, everfionemque tot ditionum ac pagorum audiens, ad reprimendas Saxones miserat exercitum, cujus adventu non perterritus magnanimus Princeps Witikindus prælio commisso nullum non movebat lapidem, ut hostis irruptionem in Saxoniam impediret, cum verò ex voto pugnatum non esset, compos voti haud fieri potuit, interim nihilominus, ut ut quam verfabilis fortuna sit, documentum vel ipse esse poterat, non omittebat suos per decora majorum, perque Deos gentis suæ obtestari, ut eadem constantiâ animi, quâ præterita tolerassent, & deinceps experiri vellent, quicquid fors tulerit, cum liceat expertis belli fortunam, aut reparare quæ amissa, aut honesta morte defungi. Omnis multitudo & maximè militaris, uti mobili impetu fertur, ita ad reparandas vires bellumque impigrè renovandum VVitikindus cum suis intendit. Carolus Magnus interim quâ armis quâ conventibus habitis Saxones in ordinem redigere tentabat, ast irrito prorsus conatu, nondum devicto VVitikindo Duce Saxonum in-

comparabili. Facta hæc Anno 778. juxta Lambertum Schafnaburgensem Monachum, qui floruit circa Annum Christi 1058. in Annal. ad Annum 778. quo anno Saxones, ut modo diximus, Francorum ditiones Duce VVitikindo devastarunt, quâ de re sequentia posteritati reliquit Conradus à Liechtenavv Abbas Urspergensis in Chronico ad Annum Christi 778. Interea Saxones, ait, sumptis armis, Rhenum usque profecti sint: sed cum omnem transire non possent, quicquid à Tuicio civitate usque ad fluvium Salam, vicorum villarumque fuit, ferro & igni populati sunt, nullum discrimen sexus aut ætatis ira hostis fecerat, ut liquidò appareret, eos non prædandi sed ulciscendi se gratia terminos Francorum introisse. Hæc Abbas Urspergensis laudato loco. Conf. Annal. Fuldensis & Sigebertum ibi. *Saxones svasu VVintichindi Franciam atterunt.* Ex recentioribus Vid. Rolevinkium lib. 2. cap. 5.

Sequenti Anno 779. restauratum truculentissimum bellum inter Carolum Magnum & Saxones. Carolus enim synodo habitâ in Duriâ hostili animo Saxoniam ingressus usque ad Lippiam venit, Pugnatum deinde magnâ utriusque gentis fortitudine & viribus in loco Bucholtz dicto, ita tamen, ut cedere Saxones coacti fuere. Rem totam paucis exposuere verbis Regino & Abbas Urspergensis. Ille lib. 2. *Chronic. ibi. Conati sunt Saxones resistere in loco, qui dicitur Bucholtz, sed nihil prevaluerunt. Aperta autem via Vestfalos subjugaverunt, & omnes Saxones, qui ultra VVisararn commorabantur. Veniens autem Rex in loco qui dicitur Medofulli, accepit obsides & sacramenta à Saxonibus, qui ab eodem defecerant, & reversus est in Franciam. Hic in Chronico suo p. 133. ad Annum 779. ibi. Cui cum Saxones in eo loco, qui Bucholtz dicitur, resistere tentarent, victi fugatique sunt, & Rex Vestfalorum*

*falorum regionem ingressus, eos omnes in ditionem accepit: indeque ad VVisaram veniens castra posuit: ibi Angrarii & Ostfali obsides dederunt, & sacramenta iuraverunt. Hæc Abbas Urspergensis laudato loco.*

7 Cæterum non obstante ingenti Saxonum consternatione, & servitutis, quæ morte durior est, imagine oculis obversante, supra fidem est Witikindum non modo de patriâ suâ non desperasse, sed inandito animi vigore ad extremum à patriâ discrimen propulsandum insurrexisse. Equidem justè æstimantibus Witikindum, liquet fortissimum eundem libertatis Saxonice propugnatorem fuisse. Erat quippe in eodem incredibilis libertatis defendendæ ardor, laboris & molestiarum patientia propemodum

nimia, fortitudo non in <sup>ax</sup> Principes modo excellens, sed inter illos quoque, quorum hæc sola virtus fuit, mortis, cuius metus cæteros exanimat, perpetua contemptio: gloriæ laudisque veræ cupido, jam pietas erga patriam, ejusque amor, jam erga Saxones suos benevolentia: consilium par magnitudini animi, & quantam poterat ætas ejus capere solertia: in adversis animus infractus: auctoritasque inter suos, quâ nutantes eorum animos & à libertatis propugnandæ studio non parum remittentes, toties erexit, quæ de re testantur scriptores rerum Germanicarum antiquissimi, iique fidelissimi, capite sequenti adducendi; ingentes profecto dotes erant. Ex quibus hunc fructum tulit, ut quod ab obitu demum alii Principes decus sibi audent sperare, id vivus abstulerit; & nihilo secius nunc quoque à gratâ posteritate reportet.

## C A P U T VIII.

### *De Expeditionibus bellicis Witikindi adversus Carolum Magnum ab Anno 780. usque ad Annum 783.*

#### S V M M A R I A.

1. Anno Christi 780. Carolo M. in Saxoniam venienti omnes Orientalium partium Saxones occurrerunt, multique Christianismum receperunt. 2. Eodem anno Carolus M. Eresburgum venit. 3. In illud jussu Caroli concessit Sturmio primus Abbas Fuldensis. Caroli M. adventus ad fontes Lippia, hodie *Lipspringe*. 4. Rediit Eresburgum Carolus M. quinquennio elapso cum Frastarda conjuge. 5. Hiems Eresburgi transacta peperisse Saxonibus dicitur jus VWestphalicum. 6. Quale fuerit occultum jus VWestphalicum? 7. Mentionem crudelissimæ legis Saxonum fecit VVippo Capellamis Conradi II. Imperatoris. 8. Restauratio belli Saxonici contra Carolum M. anno Christi 782. facta. 9. Clades Caroli M. exercitus ad montem Suntal, victoriaque insignis VVitikindi. 10. Adducta hæc de re verba Abbatis Urspergensis, Lamberti Schafnaburgensis, & ex recentioribus Joannis de Bufieres. 11. Carolus M. ulturus infamiam cladis quatuor milia quingentos è gente Saxonica truncari capitibus jussit.

1 **P**Acata jam omnia in Saxoniam esse videbantur, postquam subsequenti Anno Christi 780. Carolo M. in Saxoniam venienti omnes Orientalium partium Saxones occurrerent, multique de populo baptisati Christianismum reciperent, testibus historicis Germanicis, quos inter Abbas Urspergensis, un-

de compositis rebus tam Saxonum, quam Danorum Carolus M. Franciam repetebat, deinde Romam cum conjuge Hildegarda profectus. Regino Prumiensis Abbas eodem Anno 780. Carolum Eresburgum venisse memorat, multosque de Nortlindis baptisatos fuisse in loco, qui dicitur Horheym ultra Obaccrum fluvium. Sane  
E 2 Eres-

Eresburgum à postea nã occupatione, Saxonibus Occidentalibus in Caroli potestatem paulatim concedentibus, ab omni præterea rebellionē & injuria se abstinentibus ampliari, publicisque ædificiis & privatis exornari cepit. In illud jussu Caroli jam ante aliquot annos concessit Sturmio, aliis Sturmus, Noricã provinciã oriundus, primus Abbas Fuldensis, qui Anno 779. obdormivit, observante Christophoro Brovvero *Annal. Fuldens. lib. 3. c. 5.* Rediit Eresburgum Carolus M. anno sequenti, commoratusque ibidem diebus aliquot, accessit ad fontes Lippiæ, hodie Lippspringe. Rediit postmodum quinquennio elapso Eresburgum Carolus M. cum Frastrada conjugē Rudolphi Franciæ Orientalis Comitis F. ante biennium Wormatiæ ducta, cum primogenito Ludovico, cæterisque filiis & filiabus, per totam hyemem solito asperiores ibidem commoratus. Hiems ista Eresburgi transacta peperisse. Saxonibus dicitur jus Westphalicum, quod alii Vemum sive Vemium vocant; Crancius *Saxon. lib. 2. c. 21.* appellat occultum, quem sequitur Munsteros *Cosmogr. lib. 3. c. 456.* de quo vide Vernerum *Rolevincium part. 2. Antiq. Saxon. c. 6.* Henricum de Hervordia, qui sub Carolo IV. vixit, & Æneam Sylvium Cardinalem Senensem, postea Pontificem Pium II. dictum *lib. de Statu Europæ sub Frid. III. Imp. c. 29.* alioquin Judicium hujus vetiti apud scriptores istius seculi altum silentium, nisi quod elapsis seculis duobus cum dimidio legis crudelissimæ Saxonum mentionem fecerit VVippo Capellanus Conradi II. Imp. cognomento Saliqi in vitã ejusdem c. 6.

Cæterum ut ad VVitikindum nostrum redeamus, constat eundem pro libertate Gentis suæ intra tot fortunæ minas arma iterum arripuisse, & Anno Christi 782. restaurasse bellum contra Carolum M. testantur id ipsum tum Regino cum Abbas Urspergensis. Ille in *Chronico ad d. Ann. 782. Saxones, ait, iterum fidem violant, arma corripunt, suadente VVitichindo.* Hic in *Chronico p. 134. VVitikindus, inquit, in patriam reversus, Saxones rebellare persuasit.* Hoc vero Anno 782. VVitikindum exercitum Caroli Magni ingenti prælio devicisse, Ducibus belli & proceribus aliisque è nobilitate præcipuã pene omnibus occisis, vetant nos dubitare rerum Germanicarum scriptores antiquissimi itiq; fidelissimi. Cladem hanc sequentibus verbis exposuit prælaudatus Abbas Urspergensis d. l. *Nunciatum est Regi (Carolo M.) quod Sorabi Sclavi, qui campos inter Albiam & Salam jacentes incolunt, in fines Thuringorum & Saxonum sibi confines depradandi causa fuissent ingressi. Contra quos cum tres ministros suos cum Orientalibus Francis direxisset, illi Saxonum audientes motum ad illas diverterunt; sed incautè agentes à Saxonibus circumventi, & pene omnes occisi sunt.* Lambertus Schafnaburgensis Monachus ad eundem Annum locum exprimit, Santal dictum; *Caroli Comites, ait, occisi sunt à Saxonibus in loco, qui dicitur Santal.* Idem ante Lambertum scripsit Regino, locum montem Suntedal appellans. Rem totam ex veterum mo-

numentis eleganter exposuit florentissimus rerum Gallicarum scriptor Joannes de Buffieres Societatis JESU presbiter in *histor. Francicã lib. 4. p. 284. & 255.* cujus verba digna ut heic legantur, *Tenuit pax, unum annum aut alterum, ait, donec VVitichindus priorum motuum fax & tuba, ab suo illo Normannico recessu, in quem Francis urgentibus confugiebat, ad suos egressus, disturbatã pace martem inspirat. Ad hunc compescendum Theodoricus Comes in Saxoniam mittitur; adsuntque paulò post in supplementum virium Geilo stabuli Comes Vucoradus Comes palatii, Adalgisus cubiculo Regis præfectus, ab ipso Rege cum copiis ad comprimendos Sclavos præmissi. In viã per Saxoniam captã, defectione auditã Saxonum, & imminere Theodoricum ut dimicaret, Francorum more spe pugna allecti, omisã provinciã, cui delecti erant, Theodorico cum suis copiis pugna & victoria certi se adjungunt. Nec mora, communi suffragio, quaerendos hostes, profligandos, penamque scelerum repetendam. Ita ad hostem accedunt. Ad montem Santalium stativa collocant, quã in Austrum obvertitur, cum borealem partem Saxonum castra occuparent; ad montis ortum interfuebat Visurgis. Geilo & socii specie explorandi, Visurgi clam trajecto, quã erant aviditate pugnandi statim ubi in conspectum hostium ventum, ruunt in prælium. Scilicet inter eos antè convenerat, absente Theodorico pugnam conferendam; rapturo scilicet gloriam, nullã ipsis parte obtingente præter periculum. Quare præfestinanter nulloque ordine, de fallendo socio, quã hoste vincendo magis solliciti, acti in pugnam, ut quisq; equum insecnderat, pro temeritate excepti sunt. Nam Saxones pro castrorum vallo stantes in acie, cæco raptos impetu & in compositos interficiunt. Proceres quidem omnes, aliosque è nobilitate præcipuã, quibus fuit satius pugna occumbere, quã seruari fugã; militum paucis ad Theodoricum effugientibus: ita arrogantia vergit ad casum, & infortunii prodromus confidentia est. At Carolus ulturus infamiam cladis, cum exercitu in Saxoniam penetrans, demissos omnes & noxam excusantes comperit, cujus invidiam in VVitichindum unum rejiciunt; cumque is dedi nequiret, Normannorum tectus profugio, selecti è facinorosis rei supra quatuor millia quingenti, quos ad aliorum terrorem victã jam clementiã, Rex eodem, quo traditi sunt die, ad amnem Alarum truncari capitibus jussit; ne forte venia scelerum pluri-*

*plurium materia foret.* Hæc Joannes de Bussieres laudato loco, Equidem tantâ alacritate utrinque, quasi singuli dimicarent, pugnatum fuisse, in eodemque vestigio quemque stetit, donec vincendo locum sibi faceret, & hoste prostrato gradum promoveret, Witikindo non Ducis magis, quàm militis munera exequente, non obscure infaustissimus eventus & exitiabilis clades Francorum testatur, cum juxta Abbatem Urspergensis pene omnes occisi sint, quem secutus ex recentioribus laudatus Joannes de Bussieres proceres omnes aliosque è nobilitate præcipuâ, paucis militum ad Theodoricum effugientibus, interfectos in eodem prælio à Saxonibus fuisse commemorans, Annales Fuldenses paucis hanc cladem exponunt. *Saxones ajunt, spudente VVitikindo, iterum rebelles effecti, legatos Regis Adalgisum & Geilonem in Sclavos cum exercitu missos, conserto cum eis prælio in loco, qui dicitur Sontdal, non sine grandi clade suorum occiderunt.* Rolvinkius lib. 2. cap. 5. locum prælii vocat *Sonnendal, id est Vallem solis*, quod verò Carolus ulturus infamiam cladis quatuor mil-

lia quingentos è gente Saxonica truncari capitibus jussit, id Joann. de Bussieres hausit ex Reginone Abbate Prumiensi, qui ibidem addit Witikindum tum relictum à suis partes Nortmanniæ adiisse, Poëta Anonymus Saxo:

*Tradita sunt sanè reliquorum bis duo  
letho*

*Millia, quingentique viri, qui tam grave bellum*

*Illius (VVitikindi) contra Francos gessere suasu.*

*Hosque die cunctos Rex decollaverat una*

*Juxta Alaram fluvium locus idem Ferdi vocatur.*

Annales incerti Auctoris ex Bibl. Pithæi. *Quorum mors, (intelligit legatos & Duces Caroli M. cælos.) quatuor millium & quingentorum hominum decollatione vindicata est.* Hæc illi fatiscare. Conf. ex recentioribus Spangenberg. *Chron. Sax. c. 75. p. 108.*

## CAPUT IX.

*De Reliquis expeditionibus bellicis Witikindi adversus Carolum Magnum ab Anno Christi 783. usque ad ejusdem conversionem ad Christianismum.*

## SUMMARIA.

1. Victores victique nunquam solidâ fide coalescunt.
2. Prælium inter Carolum M. & Saxones in loco Thietmelle commissum.
3. Thietmelle olim Theutoburgum dictum.
4. Victoria insignis Caroli M. adversus Saxones in loco Thietmelle.
5. In cujus memoriam sacellum in monte Osnegg extructum.
6. Mons hic sancti adjutorii appellatus.
7. De Thietmellensi pugna adducta verba ex Chron. Tremon.
8. Alterum prælium Caroli M. ad Hasam fluvium commissum.
9. Locus Annalium Fuldensium emendatus.
10. Locus Annalium Francorum ex Codice MSto augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ itidem correctus.
11. Laudatur Anonymus vitæ Carolinæ scriptor, qui sub Friderico I. floruit.
12. Emendatus locus Anonymi scriptoris, qui sub Ludovico Pio vixit.
13. Notata imperitia descriptorum antiquissimorum Codicum.
14. Bellum VVitikindi Anno 784. contra Carolum M. gestum, ac de eodem laudata verba Reginonis.
15. Encomium Witikindi.
16. Conciliatæ contrariæ scriptorum Germanicorum sententiæ circa numerum annorum, quibus

F

Witi-

Witikingus bella cum Carolo Mag. gessit, occurrens. 17. Translatio Saxonum transalbianorum cur facta à Carolo M? 18. Laudata eâ de re verba Eginharti, Reginonis, adductaque testimonia Annalium Fuldensium, Sigeberti, Mariani, Lamberti Schafnaburgensis. 19. Secutus fuit Carolus M. hâc in re exemplum veterum Romanorum, præprimis Impp. Tiberii ac Probi. 20. Remotum dubium circa annum translationis Saxonum occurrens. 21. Adductus eâ de re locus illustris Annalium Fuldensium. 22. A Carolo Magno bis ejusmodi translatio Saxonum facta fuit, posteriorque ad Transalbianos spectavit. 23. Laudata hâc de re testimonia Eginharti, Reginonis, Lamberti Schafnaburgensis, & Sigeberti Gemblacensis. 24. A quibus non dissentire Hermannum Contractum observatur.

**S**Axones etsi jam tot præliis tot cladibus fracti identidem tamen Francorum jugum excussere, quemadmodum victores victique nunquam solidâ fide coalescunt, teste Tacito *lib. 2. hist.* Anno enim subsequenti. 783. cum iterum Witikingus bellum contra Carolum Magnum moveret, Saxonesque arma arriperent, geminâ expeditione Carolus M. geminavit & stragem duobus præliis, quibus Eginharto teste, ipse interfuit, tanto numero hostium casu, ut nemo Saxonum reliquo tempore in acie præsentate Carolo M. stare ausus fuerit; tantum terroris fortitudo visa intulerat. Equidem Anno 783. in loco Thietmelle ab antiquitatem maximè claro, utpote cui nomen Teutoburgium olim fuit. Vid. Tacit. *lib. 1. Annal. Conf. Cluver. lib. 3. Germ. antiq. c. 15.* celebrem triumphum Carolus M. egit; bellum illud non Ducum operâ, ut pleraque alia, sed auspiciis & ductu suo gerens, aciem componendo, versandoque inter medios pugnantium conflictus, inde mox ingentem illam victoriam innumerabili hostium multitudine interfectâ reportavit, quâ de re Eginhartus *in vit. Caroli Magni.* Annales Francici incerti sed vetusti scriptoris apud Pithæum, Poëta Anonym. *ad Ann. 783.* Adelmus Benedictinus *in Annal. Reg. Franc. Ann. 783.* Annales Francorum apud Canisium. Et quia in Thietmelleni pugna singularem Carolus Magnus DEI opem expertus fuerat, in ejus memoriam sacellum in monte Osnegg. condidit, & utique à divino auxilio nomen indidit Pideritius *in Chron. Lippiens. Crantzius lib. 2. Saxon. c. 4.* Sane in eo monte à memoriâ Caroli M. erectam capellam esse, divini auxilii nominatam, referentem posteris, quod propter cœleste præsidium in eo missum, memoria ibidem magni miraculi consecrata sit, plurimorum sententia est. Montem sancti Adjutorii appellant alii, Saxones nostri *Sant Hülffe* quod nomen diutissimè mansit, senu sermonibus, teste Reineccio *in not. ad Poët. Anonym.*

hactenus conservatum. De hâc Thietmelleni pugna sequentia extant *in Chron. Tremon. apud Stangevol. lib. 2. Annal. Carolus Rex, inquit, in monte ab antiquo Asneggi dicto, milliare à Lemgau civitate distante, Saxones usquequo rebelles iteratò aggressus, illos ad internecionem occidit, & transfugas dissipat: quâ in pugna, manifestum ei divinum adsuit auxilium, ea propter religione tactus ne ingratus erga DEUM reperiretur, montem hunc divino cultui consecravit, montem sancti adjutorii eum baptizando, atque ecclesiam ibidem fundando, ubi posteri multis seculis, piâ, & ab antiquo usitatâ devotione, illinc peregrinantes divinum auxilium non rarò senserunt.*

Alterum prælium, cui Carolus, Eginharto teste, interfuit, commissum fuit ad Asam fluvium, seu Hasam, uti pro Basa rescribendum esse *in Annal. Fuldensibus Pithœi ac Freheri rectè monuit clarissimus Besselius ad c. 8. Eginharti de vita Caroli M.* De utrâque pugna Regino Abbas Prumiensis sequentia posteritati reliquit. Anno Dominica incarnationis 783. Rex iterum Saxoniam ingressus est eo quod Saxones rursus rebellassent, & cum paucis, Francis ad Thietmalli venit, ibi Saxones paraverunt pugnam in campo viriliter. Tunc Rex cum Francis super eos irruit & magnam stragem ex eis fecit, ita ut per pauci fugâ elaberentur. Post peractam victoriam venit Rex ad Paderbrunna, ubi coadunato exercitu, denuo super Saxones irruit, qui se sociaverunt super fluvium, cujus vocabulum est Asa. Ibi iterum pugna inita non minor numerus Saxonum cecidit, quàm in superiori prælio ceciderat. Tunc Rex VVisaram transit, & ad Albiâ usque pervenit, posthæc in Franciam revertitur. Hæc Regino. *d. l.*

Equi:

Equidem licet præter modo laudata prælia, quibus ipse gloriosissimus Imperator Carolus M. interfuit, Annales Francorum incerti sed vetusti scriptoris Germanici à Petro Pithæo primùm in lucem editi mentionem injiciant præ-  
 10 lli in loco, ubi Lippia oritur, commissi ad Annum DCCLXXXII. ibi. *Carolus habuit CONFLICTUM in loco, ubi Lippia oritur cum omnibus Primatibus Saxonum, excepto VVitichindo rebelle & eis, qui cum eo erant. ubi ad eum venerunt missi GODEFRIDI*, attamen rectius, observante eminentissimæ eruditionis ac infinitæ lectionis Viro Petro Lambecio in præclaro opere *Commentariorum de Augustissimâ Bibliothecâ Cæsareâ Vindobonensi lib. 2. cap. 5. pag. m. 347.* in Codice MSto d. augustissimæ Bibliothecæ legitur, Carolus habuit CONVENTUM, &c. & pro Godefridi Sigifridi ibidem. De cætero non dubitamus plurima ad illustrationem rerum à Carolo M. adversus Saxonones præclarè gestarum vitæque Witikindi extare in Codicibus manuscriptis, in Bibliotheca Cæsareâ asservatis, præsertim in libello Anonymi cujusdam, qui sub Imp. Friderico I. cognomine Enobardo sive Barbarossâ circa Annum MCLXV. de vitâ Caroli M. conscriptus,  
 11 & hætenus nondum in lucem editus fuit, in quo libro tertio duorum scutorum sanguineorum in expugnatione Eresburgi visorum, de quibus capite præcedenti 6. n. 15. diximus, aliarumque rerum memorabilium mentionem factam esse constat. In Anonymi cujusdam libro gesta Imperatoris Caroli Magni continente, quem Petrus Pithæus inter antiquos Rerum Francicarum scriptores, tanquam à Cœnobii Egolesmensis S. Eparchii anonymo quodam Monacho, qui sub Ludovico Pio vixit, conscriptum, primus in lucem edidit, habetur, tum temporis in expugnatione Eresburgi gladium supra Ecclesiam visum fuisse. *Quâdam autem die, inquit, cum bellum præpararent (pagani)*  
 12 *adversum Francos, qui ipsum castrum (Eresburg) custodiebant, apparuit manifestè GLADIUS supra Ecclesiam, quæ est infra ipsum castrum, videntibus cunctis tam à foris, quàm de intus. Ex quibus multi manent adhuc, qui dicunt vidisse se instar duorum scutorum colore rubeo flammantium & agitantium supra ipsam Ecclesiam. Cum hoc signum vidissent pagani, qui à foris erant, statim confusi sunt, & magno timore perterriti, fugere cœperunt ad castra.* Quem locum ideo potissimum adduxi, ut cuilibet  
 13 constare possit de imperitiâ descriptorum antiquissimorum ejusmodi Codicum, locum enim hunc mendosum esse, & ex Codice MSto Cæsareâ Bibliothecæ, emendandum ac pro apparuit manifestè GLADIUS, legendum esse apparuit manifestè GLORIA DEI, rectè monuit Lambecius d. lib. 2. cap. 5. p. m. 343. Scilicet cum in antiquo illo Codice abbreviatè scriptum esset, glâ dī; imperitus descriptor duas hæc voces abbreviatis perperam mutavit in unam vocem

gladius, Gloria autem. Et observante Lambecio hic eadem ratione quâ passim in sacro Codice, miraculosa majestatis divinæ apparitione per signum aliquod extraordinarium; cujusmodi fuere scuta illa duo rubei coloris, quæ tanquam divinæ protectionis indicium super Ecclesiam à paganis oppugnatam apparuerunt, accipienda. Accedit quod ita quoque legatur apud prælaudatum Anonymum Autorem, qui sub Friderico I. de Sanctitate Caroli Magni libros tres hætenus ineditos composuit.

Porro Anno sequenti 784. iterum Duce Witikindo Saxonibus rebellantibus, & cum eis aliquâ parte Frisonum, jam nova belli truculentissimi materia oblata. Carolus M. igitur diviso exercitu victis Westphalis populationibus vastis & continuis, ne dato quidem per-  
 14 vitiam hiemis otio, à Visurgi ad Albim gentem Saxoniam attrivit penitus, adegitque miseris sapere. Hanc ultimam expeditionem præ reliquis satis accuratè descripsit iterum Regino. *Anno Dominica incarnatinis 784. ait, Carolus ingressus est Saxoniam, eo quod iterum rebellasset, & cum eis aliqua pars Frisonum, & pervenit usque ad Huculin, circumcundo & vastando omnia. Erat autem nimia inundatio aquarum. Ipse igitur per Thuringiam ab Orientali parte intravit super Hostfalos. Porro filium Caroli dimisit cum validâ manu contra VVestphalos. Itaque Rex Thuringiam ingressus, pervenit usque ad fluvium Albia, & inde ad Tagniosfurt, deinde ad Scanninge, ex quo loco reversus est in Franciam. VVestphali verò congregaverunt se juxta Lippiam, quibus occurrit filius Regis in pago, qui dicitur Dragim, & inierunt pugnam, quibus viriliter superatis reversus est VVormatiam ad genitorem suum.* Hæc Regino d. l.

Saxonones jam tot cladibus fracti ac calamitossimi tum quidem cœperunt detestari bellum, apprecari pacem quibusvis conditionibus, execrari rebellionis auctores, præcipue verò in Witikindum Principem & libertatis patriæ propugnatorum incomparabilem, in quem ut meritorum facilis oblivio, mala omnia tum quæ patravissent, tum quæ passi erant, ut in causam atque artificem conferebant. Carolus Magnus interea admiratus fortitudinem, animumque in rebus adversis infractum, cæterasque virtutes Witikindi, nullum non movit lapidem, ut quem armis subjugare non poterat, humanitate & beneficiis sibi devinctum redderet, & ipse Witikindus noster sive tædio belli truculentissimi, sive quod se desertum à suis videret emolliri inceperat; Carolus Magnus igitur generosum heroem arcessere, impunitate promissâ datisque obsidibus non dubitavit. Witikindus igitur ex transalbianâ regione adducente Amalvvino aulicorum uno, testantibus historicis rerum Germanicarum, ad Carolum M. venit, ut ut Al-  
 bertus

bertus Crantzius alio paulo aliter, quâ de re infra pluribus dicturi. Cæterum Witikindus non modo humaniter in gratiam à Carolo Magno receptus fuit, sed & baptismo inauguratur, quo ipso plus tandiu generosè repugnando, quàm amisit, consecutus est. Æternam constantiæ famam, immortale decus, in patriam dulcissimam meritum incomparabile, & denique per conversionem ad Christianissimum vitam celestem, ut de restitutione ditionum præsertim ad pagum Angariæ spectantium à Carolo M. Imp. postmodum factâ nunc nihil dixerim.

16 Cæterum dubium heic occurrit non exiguum circa numerum annorum, quibus Witikindus bella cum Carolo Magno gessit, si enim Anno post Christum natum 772. incoatum est bellum Saxonicum, ut Annales Francici, item Auctor *Vitæ Caroli M. à Reinoccio editus*, aliique supralaudati testantur: Witikindus autem baptismum accepit Anno 785. ut iidem scribunt, traditque Gobelinus in *Cosmodromio*, quomodo constabit, quod est apud Witichindum Monachum Corbejensem, cum Carolo Magno triginta fermè annis Witikindum nostrum bella gessisse? Rectius Eginhartus in præclaro scripto de Vit. Caroli Magni, jam olim Sigeberto in *Chronicis ad Ann. 714.* & Adamo Bremensi *l. 2. c. 9.* laudato & ab Alberto Stadenfi & Conrado Urspergenfi ferè exscripto, ut & Helmodus Buroviensis *lib. 1. c. 3.* adductus clarissimo Meibomio in Appendice ad Gobelini *Cosmodromium*, qui triginta tribus annis cum universis Saxonibus pugnatum scribunt.

Cæterum Witikindo ad Christianismum converso Saxoniam quidem aliquot annos pax tenuit, attamen quasi Saxones fidei & observantiæ pæniteret, rebellio instaurata, & a Carolo M. Imp. direptiones atque incendia instaurata similiter, morbo vetere remedium vetus arcescente. Nec tamen debellare penitusque pervicaciam Saxonum infringere multis gravissimisque implicatus bellis potuit; donec tandem anno post ceptum bellum tricesimo tertio, conficeret industriâ, quod vis & arma nequiverant. Cum enim Saxones citra Albim habitantes rebellandi animum deposuissent, transalbiani verò atrocior ferocia in impietate & libertate perstantes, tam fallendæ fidei quàm dandæ faciles, ad minimam rebellionis auram moverentur. Carolus M. Imp. metu percitos ubi evocavit, & solitâ facilitate ad jurandam fidelitatem adigit, persuasit iisdem, ut terras incultas & op-

17 portunas furori hostium mutarent melioribus & tutioribus, & confestim selectas eorum familias, qui auctoritate pollerent cum liberis atque conjugibus, quâ donis quâ metu abduxit à laribus proculque à patria Francis immistas, in novas terras novosque mores induxit, sublatâ 18 mali opportunitate, post modum Abodritas proximam gentem sibi que fidissimam, in abeuntium locum substituit, coloniarum more, Factum id Anno Christi 804. juxta Reginonem in *Chronico lib. 2.* ibi. *Anno dom. incarnationis 804. Imperator Aquis hiemavit, æstate vero in Saxoniam cum exercitu perrexit, omnes-*

que qui trans Albiam in Vuimodi habitabant Saxones cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, & pagos trans Albanos Abodritis dedit. Hæc Regino *d. l.* quæ totidem ferè verbis extant apud Adelmum & Auctorem *Annal. Fuldensium ad Ann. 804.* Idem cum his Lambertus Schafnaburgensis, & Sigebertus *ad Ann. 803.* Ante Reginonem idem paulò tamen aliter tradit Eginhartus in *vitâ Caroli M. c. 7.* ibi. *donec omnibus qui resistere solebant, profligatis, & in suam potestatem reductis, decem hominum millia ex iis qui utrasque ripas Albis fluminis incolebant, cum uxoribus & liberis transtulit, & huc atque illuc per Galliam & Germaniam omnimoda divisione distribuit.* Eginhartum sequitur Marianus *lib. 3. ann. 775.* Cæterum septimo circiter anno post facta in patriam est exulibus redeundi licentia. Signatè Privilegium à Ludovico Pio Ecclesiæ Hamburgensi concessum, quod Syntagmati Rerum Germanicarum Septentrionalium inferuit Erpoldus Lindenbrogius, quodque inde repetit Petrus Lambecius *Orig. Hamburg. lib. 1. pag. 10.* ibi. *laxatâ captivitate, quam ad multam perfidiam in ipsis Christianitatis initiis patratam, per septennium passi sunt, &c.* Secutus nimirum hæc in re Carolus M. fuit exemplum veterum Romanorum. Tiberius namque ex iis locis, ubi Drusus adversus Sicambros castellum Alifonem posuerat Sicambros traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit. Sveton. in 19 *Aug. c. 23.* Quantus autem eorû, quos in Gallias Tiberius trajecit, numerus fuerit? Eutropius, quem sequitur Lipsius *l. 1. de magnit. Rom. & clarissimus Cluverius memoriæ prodidit lib. 7.* Tiberius quadringenta millia captivorum ex Germania transtulit, & supra ripam Rheni in Gallia collocavit. Eodem usus consilio Probus Imp. teste Vopisco, accepit sedecim millia tyronum (è Germanis nostris) quos omnes per diversas provincias sparsit, ita ut numeris vel limitaneis militibus quinquagenos vel sexagenos interfereret, dicens: sentiendum esse, non videndum, cum auxiliaribus Barbaris Romanus juvatur. De Vandalis & Burgundionibus à Probo devictis, & in Britanniam deportatis. Zosimus *lib. 1. Conf. Reverendissimi & Celsissimi Principis Dn. Ferdinandi Episcopi Paderbornensis & Coadiutoris Monasteriensis Monumenta Paderbornensia pag. 210.* Colophonis loco denique removen- dum heic occurrit dubium circa annum translationis Saxonum occurrens, aliis ab Eginhardo dissentientibus, & translationem Saxonum in 20 Annum DCCCIV. collocantibus, ad conciliationem hujusce rei spectare videtur illustris locus *Annalium Fuldensium*: ibi. *Saxones in Sinisfeld (Regino ad Annum XCIV. vocat Finisfeldt, Eginhartus verò Sinotfeldt) congregati à Carolo subacti sunt, & tertius ex eis homo 21 translatus.* Quibus verbis Annales designare voluerunt: Carolum toties iteratarum defectio- num novum quæsisse remedium, nempe Saxones ex Saxonia alio transferendo & passim per Germaniam Galliamque dispergendo. Conf. Adamum Bremensem *Histor. Eccles. lib. 1. ibi.*

Tan-



Tandem Saxones ita profligati leguntur, ut ex his, qui incolunt, utrasque ripas Albi fluminis X. millia hominum cum parvulis in Franciam translatis sint. Sane Carolus Regem bis hoc consilio usum fuisse rectè observat Vir clarissimus Caspar Sagittarius in *Histor. Antiquissime Urbis. Bardevvici cap. 3. §. 59.* De priori loquitur Eginhartus & Adamus supra laudatis locis; quò etiam sequentia Mariani Scoti referenda sunt, quamvis annum, is designet septimum & septuagesimum: ibi. *Saxonum Carolus decem millia hominum captivorum cum uxoribus & parvulis per Galliam ac Germaniam dispersit. Posterio- rem translationem Saxonum verò ad Transalbianos spectasse factamque anno DCCCIV. constat. Quò pertinent ista Annalium Eginharti: Imperator Aquisgrani hyemavit: estate autem in Saxoniam ducto exercitu, omnes, qui trans Albiam & in VVimodi habitabant Saxones cum mulieribus transtulit in Franciam; &*

*pagos Transalbianos Abodritis dedit. Eginhartum pro more excerptis Regino Prumiensis Abbas. Eodem modo Annales Fuldenses: ibi. Carolus Saxones Transalbianos cum mulieribus & natis transtulit in Franciam, & pagos Transalbianos Obodritis dedit. Lambertus Schafnaburgensis ad Annum DCCCII. Saxones Transalbiani translatis sunt in Franciam. Sigebertus Gemblacensis ad Annum DCCCIII. ibi. Carolus Imperator omnes Saxones trans Albiam morantes in Franciam transtulit, pagosq; eorum Abodritis dedit, & quamvis Hermannus Con- tractus simpliciter Saxones translatis tradat verbis sequentibus: Carolus Saxonum rebellantium multitudinem in Franciam transfert, attamen non alios, quam Transalbianos eundem intelligere, neque à reliquis, qui omnes Saxonum tantum Transalbianorum mentionem injiciunt, dissentire existimamus.*

## CAPUT X.

## De NÆVIS Vitiisque Witikindo à scriptoribus Germanicis objectis.

## SUMMARIA.

1. Laudatum divini Platonis dictum. 2. Quomodo perstringenda vitia Magnatum? 3. De perfidiâ Saxonum adducta verba Eginharti. 4. Examinatur vitium rebellionis & perfidiæ Witikindo à scriptoribus Germanicis objectum. 5. Laudata eâ de re testimonia Reginonis, Abbatis Urspergensis, Aventini, Naucleri, aliorumque. 6. Francorum perfidia scriptoribus observata. 7. Invidia assidua eminentis fortunæ comes. 8. Vindicatus VVitikindus ab objecto perfidiæ & rebellionis crimine. 9. Encomium Saxonum. 10. Ob fidelitatem Saxonum Impp. ab usque Augusto Cæsare corporum suorum custodiam iisdem præ aliis commiserunt. 11. Laudata eâ de re verba Aventini. 12. Clementis VIII. Pontif. Max. encomium Germanis tributum. 13. An illud cum Hortletero tantum ad Svevos restringendum? 14. Svevis peculiari privilegio datum, ut ipsi primâ acie confligerent. 15. Nemo extitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur.

**W**itikindi res præclarè gestas virtutesq; enarrantes, præterire omnino nævos ejusdem vitiaque à scriptoribus rerum Germanicarum objecta nec possumus, nec debemus. Neque enim hæc in Principibus dissimulanda Viris sunt, & sane notissimum est divini Platonis effatum,

αἱ μεγάλα φύσει μεγάλα ἐκφέρουσι τὰς κακίας. Quâ ratione verò id ipsum in universum fieri debeat eleganter docuit Plutarchus in *Cimon. & Lucull.* Nam ut pictores, inquit, qui decoras & eximie venustas pingunt imagines: si quid insit iis levis vitii, nolumus, neque ut prætereant id prorsus, neque ut undiquaque expriment: quippe

quippe hoc deformem, illud discrepantem reddet effigiem. Ita quando arduum est, vel fieri non potest potius, ut hominis ostendatur ullius vita; quæ omni vacet macula & pura sit; veritas sicut simulacrum in honestis complenda est. Illas verò, quæ ex motu animi aliquo, vel ex Reip. temporibus intercurrunt actionibus, offensas & vitia, quia claudicationes potius virtutis alicujus, quàm improbitatis ea fraudes existimamus, non debemus nimium diligenter & ad amissim in scribendo explicare. Hæc optimè Plutarchus. Verum lustrabimus ea, quæ Witikindo objecta fuere. In iis verò potissimum se offert rebellionis & perfidiæ crimen.

2 Neque enim Eginhartus tantummodo Saxones in universum omnes, ut perfidos descripsit invitâ Caroli Magni c. 7. sequentibus verbis.

3 Susceptum est, igitur, contra eos bellum, quod magnâ utrinque animositate, tamen majore Saxonum quàm Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur. Poterat siquidem citius finire, si Saxonum perfidia pateretur. Difficile dictum est, quoties superati ac supplices Regi se dederint, imperata facturos polliciti sint, obfides, qui imperabantur absque dilatione dederint, legatos, qui mittebantur susceperint. Aliquoties ita domiti & emolliti, ut & cultum demonum dimittere, & Christiana religioni se subdere velle promitterent. Sed sicut ad hæc faciendâ aliquoties proni, sic ad eadem pervertendâ semper fuere precipites. Hæc Eginhardus d. 1.

4 Sed & Witikindum rebellionis & perfidiæ commissæ reum facere non pauci dubitarunt, scilicet cum neque quoad natales & majores serenissimos, neque quoad fortitudinem insignem, incomparabile propugnandæ libertatis patriæ studium & ardorem, res bello præclare gestas aliasque virtutes quicquam reprehensione dignum iidem afferre possent, perfidiam vocarunt, quam rectius magnanimitatem servitutis impatientem dixissent. Equidem Annales Fuldenses Witikindum tyrannum appellant, Regino Abbas Pramienensis verò in Chronico passim Witikindum autorem rebellionis Saxonum fecit, quem sequuntur recentiores rerum Germanicarum scriptores, quos inter florentissimus rerum Gallicarum scriptor Joannes de Bussières Societatis JESU presbiter in histor. Franc. lib. 4. & ante eundem Abbas Urspergensis in Chronico p. m. 134. quinimo primum belli concitorem facit Aventinus lib. 4. pag. 239. Idemque posteritati reliquit Joannes Nauclerus Præpositus Tubingensis in Chronico. pag. m. 725. *Witikind quoque, inquit, qui inter eos & claritate generis & opum magnitudine eminebat author perfidiæ & rebellionis, ad fidem Caroli spontè veniens baptizatus est.* Verùm enim verò, ut non dixerim, perfidiam, quam Saxonibus Eginhartus loco lau-

dato, Witikindo verò præadducti alique impingere conantur, eadem Francos in universum notasse Salvianum Massiliensem Presbyterum lib. 4. ibi. *Si pejeret Francus, quid novi faceret, qui periurium ipsum sermonis genus putat esse non criminis: & ante eundem Claud. de laudibus Stilic. lib. 1. v. 237.*

Provincia missos

Expellet citius, fallax quàm Francia Reges.

Nemo scriptorum hætenus Witikindum perfidiæ alicujus commissæ convincere potuit. Habuit fane maximus Germanicæ libertatis propugnator causas non leves, ut patriam dulcissimam adversus Francorum arma defenderet, in recentissimâ (enim memoriâ etiamnum erat, quanto molimine quibusve infestis armis à Caroli M. Avo & Parente libertas Saxonum impugnata, quanta isto in bello edita strages fuerit, quantum sanguinis humani effusum.

Et quæ animus meminisse horret, luctuque refugit.

Accedebat virtus bellicosæ gentis infracta ac jugi Francici impatiens, nec non quod Carolum M. circa tot populos & imperia distractum, aliisque bellis gerendis deditum videret, quin quod errore communi illustrium nationum quiescere, partem ignaviæ, suas alienasque fortunas spe metuque versare, virtutis opus existimaret, quod si inter alias causas Witikindi odium Christianæ religionis superstitionibus paganis adversæ retuleris, nihil equidem à verò alienum dixeris. Quæ cum ita sint objectum rebellionis crimen ex invidiâ, quæ & crimina in eum, cui invidet, si nulla sint, si modica, fingere & invenire solet plurima, natum putarim. Legimus inquit Ammianus in veteres quoque magnificos Duces vitia criminaque, etiamsi inveniri non poterant, finxisse malignitatem, spectatissimis eorum actibus offensam. Sane omne id, quod communem sortem excellit, invidia emulationique aliorum est obnoxium, inquit Dion. lib. 38. *Hæc assidua eminentis fortune est comes, altissimisque adheret,* ait Vellejus lib. 1. ut merito exclames cum Papinio Thebaid. lib. 5.

Quisnam impacata consanguinitate ligavit

Fortunam invidiamq; DEUS? quis iussit iniquas

Æternum bellare Deas? nullamne notavit

Illam domum, torvo quam non hæc lumine figat

Protinus, & sæva perturbet gaudia dextra?

Florebant hilares, inconcussique penates.

Nil maestum. quid enim, quamvis infida levisque,

Cæsare tam dextro potuit Fortuna timeri?

Inve-

Invenere viam liventia fata, piumque  
Intravit vis lava larem. Sic plena ma-  
ligno

Afflantur vineta Noto: sic alta senescit  
Imbre seges nimio; rapidæ sic obviam  
puppi

Invidet & velis adnubilat aura secundis.

8 Sane ista antiqua fides, inconcussa illa in servan-  
do fœdere constantia, & post suscepta sacra Chri-  
stiana usque ad beatum obitum erga Carolum  
Magnum & religionem Christianam religiose  
servata fidelitas, amor, & benivolentia, à crimine  
perfidie Witikindum satis absolvunt, neque illa  
in favorem Caroli Magni à scriptoribus objecta  
perfidie crimina vel Saxones in universum om-  
nes, multominus Witikindum reos faciunt,  
cum juxta Tacitum antiquissimum patriæ no-  
9 stræ scriptorem, ante Germanos nobilior gens  
nulla sit, *in libell. de morib. German.* hinc ob va-  
rias & complurimas virtutes, maximè verò fi-  
delitatem, plerique Imperatorum Romano-  
rum, ab usque Augusto Cæsare, corporum suo-  
rum custodiam Germanis, præ omnibus populis  
10 aliis commiserunt; quod hodieque ab omni-  
bus ferè Europæ Regibus fieri videmus. Vid.  
*Cluver. de Germania lib. 1. cap. 19.* Eleganter  
*Annalium scriptor Aventinus Annal. Bojarie  
lib. II. in præfat. p. 39.* Quod tamen mirè,  
11 inquit, *Roma gentium Domina, hanc aliis, quàm  
Germanis hostibus suis, Imperatorum suorum sa-  
lutem ac vitam credere ausa est.* Constat enim  
consensu Scriptorum, Germanorum cohortes à

Cæsaribus ad custodias corporis institutas, mul-  
tis experimentis fidelitatis fuisse. Hinc Cle-  
12 mens VIII. P. Max vocat Germanos die streits-  
bahre Nation, die des Heiligen Reichs Grund-  
fest / der Christenheit Stärke und Zierde sey/  
*in Brevi ad Circuli Svecici membra* apud Hort-  
lederum *lib. 1. de caus. bell. Germ. cap. 14. p. 74.*  
quod licet in marginalibus ibidem Hortlederus  
13 exaudiat de Svevis dictum, quibus peculiari pri-  
vilegio datum, ut ipsi prima acie confligerent,  
testibus Lamberto Schaffnaburgensi *in Anno  
MLXXV.* & Alberto Argentinensi *in Chro-  
14 nico. Conf. Casp. Barthium in Animadvers. ad  
Claudian. Panegyri. in III. Consulat. Honorii  
Augusti p. m. 490.* ubi scribit Svevos eò milita-  
ris gloriæ pervenisse, ut in conflictibus sociarum  
gentium ipsis primus cederetur congressus, attamen  
ratione commoda verba Pontificis Maximi  
generalitatem non respuere alibi monuimus.

Cæterum demus Witikindum quandoque  
15 humani aliquid passum fuisse, commune sane hoc  
habet, cum omnibus, quos sol olim vidit, videt-  
que, aut visurus est. Nemo extitit cujus virtutes  
nullo vitiorum confinio læderentur, inquit  
Plinius *Panegyrico Trajani.* Et fieri non potest;  
ut omnes virtutes in humana sint natura,  
nec ullus unquam è mortali accaduco semine vir  
absolutè bonus nascetur, ut de M. Coriliano lo-  
quitur Dionys. Halicarnass. *lib. IIX.* Erunt vi-  
tia donec homines, sed neque continua, & me-  
liorum interventu pensantur. dicebat Pe-  
tilius Cerealis apud Tacitum, *Hist.*

*l. IV. c. 74.*

## CAPUT XI.

### DE WITIKINDI CONFUGIO, LIBERIS, NECNON FAMILIIS ILLUSTRIBUS ORBIS CHRISTIANI, PRÆSER- TIM S. R. IMPERII. EX FAMILIA VVITIKINDEA DESCENDENTIBVS.

#### SVMMARIA.

1. Witikindus uxores duas habuit. 2. Joh. Jafaaci Pontani error  
notatus. 3. Rejecta sententia Theodorici Niemii asserentis  
Witikindum non habuisse legitimam sobolem, sed unicum  
tantum filium spurium. 4. Adducta ad refutationem erro-  
neæ sententiæ Niemii testimonia Witichindi Monachi  
Corbejensis, Gobelini, Dithmari Merseburgensis Episcopi &  
Crantzii. 5. VVitikindus ab amplissimas & potentissimas ab  
eo conditas familias Hercules Germanicus, dictus. 6. VViti-  
kindus duos habuit filios alterum VVigbertum Ducem Sa-  
xonie alterum VVitikindum II. conditorem Comitum

G 2

VVethi-

VVethini. 7. De familiis illustrissimis ex Familiâ VVitikindi obortis adducti versus Albini Nevemontii. 8. Exhibetur Schema potiores familias illustres ex VVitikindo ejusque posteris descendentes comprehendens. 9. Ad illustrationē genealogiæ VVitikindeæ laudatus locus lectu dignus Abbatis Urspergensis. 10. Necnon Joannis Naucleri Præpositi Tubingensis. 11. Adducti versus de VVigberto filio VVitikindi. 12. Qui in monasterio VVigbertshufano cum uxore Sindacilla sepultus. 13. Ex VVigberti stemmate Duces & Electores Saxoniae originem derivant. 14. Idem VVigbertus Comitum Oldenburgicorum propagator. 15. Pater Mathildis augustæ Henrici Aucupis Cæsaris conjugis Theodoricus Comes de Ringelheim & Aldenborg. 16. Ex familiâ VVitikindea Comitum Ringelheimensium origo derivata. 17. Comitatus Oldenburgicus unde nomen acceperit? 18. Comites Oldenburgenses in variis antiquis monumentis Archi-Comites Oldenburgici dicti ex familia VVitikindi originem ducunt. 19. Dubium, cur hi ipsi Comites dignitate & titulo Comitum abstinerint Comitum ordine contenti? 20. A VVitikindo II. filio VVitikindi M. derivanda origo Comitum VVethini Marchionum Misniæ, Lusatiae, aliorumque. 21. Exhibetur tertium stemma stirpis VVitikindeæ Regum scilicet Galliae Capetorum. 22. Recensentur aliæ illustres familiae ex stirpe VVitikindea descendentes.

**V**idimus haecenus ea, quæ Witikindus publicè præstitit, videbimus porro interiorē & familiarem ejus vitam, ut cum Svetonio loquar. *in oct. c. 70.* quibusque moribus domi & inter suos egerit? quæ-  
 1. væ itidem illustres familiae ex stirpe Witikindea obortæ? Et ut de conjugio Witikindi primò omnium dicamus, uxores Witikindus duas habuit, quarum altera observante post veteres ex  
 2. recentioribus Elia Reusnero *in Oper. Genealog. in Stirp. VVitikindea pag. m. 261.* fuit filia Gottrici Daniae Regis, quem exteri Gothofridum aut Sigfridum appellarunt. Joh. Isaacus Pontanus *Hist. Dan. lib. 4.* malè duos ex uno rededit, notante errorem Stephano Johannis Stephano *in Notis ad Saxonis Grammatici lib. 8.* Ex quâ priore conjugē tulit Wigbertum Ducem Saxoniae, stemmatis propagatorem, & Hafalam uxorem Bernonis, dynastæ Cassiliensis, altera Suatana seu Suaterna filia Zecchii Iztzeschorum in Bohemia Principis filia fuit, quæ dedit Witikindum II. conditorem Comitum VVethini. Quæ cum ita sint explodendus Theodoricus Niemiſius qui *lib. de privilegiis & juribus Imperii,* nullo auctore, imo contra omnes, non erubuit affirmare, Witikindum nostrum non habuisse

legitimam sobolem, sed unicum tantum filium spurium, qui cum per leges patri in hereditate per amplā succedere non posset, Saxoniam à Carolo M. victore in Comitatus, Baronias, & dominia divisam, atque ex Galliâ, Franconiâ, superiori Germaniâ, aliisque Orbis terrarum partibus evocatos proceres, Dynastias istas possidendas accepisse. Quam narrationem prorsus fabulosam esse, fidelissimi & antiquissimi historici Germanici testantur, quod ut uno ac altero testimonio scriptorum Germanicorum adducto probatum demus, primò omnium in medium producimus Witichindum Monachum Corbejensem Familiae Benedictinae, antiquissimum historici Saxonicae scriptorem, qui *lib. 1. Annalium* expressè tradit Theodoricum patrem Mathildis Augustæ Henrici Aucupis conjugis de stirpe VVitichindi Magni descendisse. *Erat, inquit VVitichindus d. lib. 1. Annal. pag. m. 20. ipsa Domina regina filia Thiaderici, cujus fratres erant VVitickind, Immet, Reginbern autem ipse erat, qui pugnavit contra Danos, multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque eos, liberans patriam ab illorum incursionibus usque in hodiernum. Et hi erant stirpis magni Ducis VVitickindi, qui bellum potens gessit contra Magnum Carolum per triginta*

ginta ferme annos. Hæc Witichindus laudato loco. Post Witichindum adduci meretur Gobelinus Persona Decanus Bilsfeldensis & Officialis Paderbornensis in *Cosmodromio*, qui eadem non tam repetit verba, quàm illustrat *Ætatis* 6. cap. 47. ubi Theodoricum Comitem Aldenburgensem vocat, verba ejusdem Gobelini pag. m. 200. extantia digna equidem sunt, ut heic legantur. *Henricus Rex habuit uxorem, que Mechvildis dicta fuit, & ipsa erat filia Thiderici Comitis de Aldenburg, qui Thidericus habuit tres filios V Vitikind, Immod, & Reinbern: & erat de stirpe V Vitikindi Ducis Saxonie & V Vestphalie, quem Karolus M. fecerat Christianum.* Albertus Crantzius Theodoricum huic Comitem Ringelheimensem vocat *Saxon. lib. 3. c. 25.* Sane de Mathilda Augusta eadem cum Witichindo scribit Dithmarus Mersburgensis Episcopus *lib. 1.* Atqui hæc de conjugio Witikindi dicta sufficient, consequens est, ut summo digito & quasi per indicem de illustribus familiis serenissimorum ac potentissimorum Regum Orbis Christiani, necnon Electorum, Ducum, & Comitum S. R. Imperii ex inclitâ stirpe Witikindeâ descendendum agamus. Et verò Witikindum nostrum ob amplissimas & potentissimas ab eo conditas familias non immeritò **HERCULEM GERMANICUM** (nam à Græco Hercule, in cujus claritatem illustri Annalium conditore Tacito aliisque testantibus, quicquid ubique magnificum fuit, olim relatum, potissimas & nobilissimas Græcæ gentis familias oriundas fuisse constat) cum clarissimo Reinerio Reineccio dixerim. Equidem supra observatum, Witikindum nostrum duos habuisse filios, alterum Wigbertum Ducem Saxonie stemmatis propagatorem ex Gevâ filiâ Siffredi sive Gotrici Regis Danie prioris conjugis procreatum, alterum Witikindum II. conditorem Comitum Wethini, ex posteriore uxore Suatana sive Suaterna, filiâ Zecchii Itzitzeschorum in Bohemiâ Principis. Sane ex Wigberto originem derivare constat Duces & Electores Saxonie, & ex his quinque potentissimos Imperatores Germanicos, Henricum scilicet ab aucupii studio Aucupem cognominatum, Otthonem I. magnum Ducem Saxonie ob rerum gestarum amplitudinem Magnum dictum, Otthonem II. item-

que III. Imp. necnon Henricum II. Imp. sanctum à vitæ integritate & pietate, claudum verò à luxato & fracto crure cognominatum. Vide Chytræum *Chron. Saxon. lib. 2. p. 48.* Lantini *de migrat. gent. lib. 9. p. 526.* ut de Blondello, Spangenbergio aliisque nihil dixerim. Conf. Petrum Albinum Nevemontium, qui in *Auleo Regum & Ducum Saxonie* plerasque ex stirpe Witikindeâ descendentes illustres familias sequentibus exhibuit versiculis dignis equidem, ut heic legantur, ibi.

*Eloquar ant taceam V Vitikindi stemmata  
primi?*

*Forte tacere potius fuerit, quàm dicere  
paucis.*

*Henrici illustres: & clarum nomen Otthonum*

*Hinc venit: hinc antiqua tui Brunsviga  
Dynasta*

*Sumsere egregium genus à Brunone se-  
cundo:*

*Hinc venit Immedi Soboles in gente Sa-  
bauda*

*Et pace egregia & bello: Alramique ne-  
potes*

*Ferrati montis domini: proceresque po-  
tentes*

*Danica Marca tui, Regiberti regia pro-  
les.*

Porro uti Witikindum M. latam reliquisse sobolem constat, ita potissimum sex illustria stemmata ex ejusdem familiâ oborta esse, veterum monumenta excutientibus obscurum esse non poterit. Sane cum hæc de re post prælaudatum Petrum Albinum Nivemontium ac Georgium Fabricium Chemnicensem absolutâ cum laude satisque prolixè egerit Vir eruditissimus Elias Reusnerus in præclaro opere Genealogico à pag. m. 269. usque ad pag. 288. inclusivè, ad eosdem quidem lectores remittimus, exhibentes interim nihilominus, ne intactum & hoc argumentum relinquamus, potiores familias illustres ex Witikindo ejusque posteris descendentes sequenti schemate comprehensas.

*Ex Witichindo M. Rege ultimo sive Duce  
Saxonie & V Vestphalie igitur utpote radice, ejusque filiis  
descendunt stirpes sex.*

## I.

**S**axonica per Brunonem Wigberti filium Witikindi Magni Nepotem, à quâ prælaudati quinque Imperatores oborti. Vid. Chytræ. Reusnerum, aliosque. Hujus stirpis Ramus duplex, scilicet.

1. Ducum Bavarie & Marchionum Saxonie. Vid. Gobelini in *Cosmodromio* *Ætat. 6. c. 38. p. m. 189.*
2. Ducum Svevie & Carinthie. Vid. Reusner. in oper. *Genealog. d. 1.*

H

II. VVe.

## II.

**W**Ethinensis Marchionum scilicet Misniæ per Witikindum II, Witikindi M, filium, unde originem trahunt.

1. Marchiones Misniæ.
2. Brandēburgi Veteres
3. Lusatia
4. Palatini Saxonæ
5. Comites Wethini
6. Comites Rochlicii  
Comites Brenæ

Vid. Petr. Alb, apud Reufnerum.

Et illustris ramus Rutæ Saxonice serenissimorum Electorum & Ducum Saxonæ, Juliac, Cliviæ, ac Montium, Landgraviorum Thuringiæ, Comitum de Marca & Ravensberg, Dynastarum in Ravenstein, &c. Vid. Reufn. d. l. in specie illustrissimam Saxonæ Ducum familiam à Witikindo exactè deducentem Wolfgangum Crausen in edito cum præfatione Philippi Melanchtonis Anno 1555. libello, cui titulus *Stamm und Anknufft dero Hochlöblichen Häuser zu Sachsen* / ejusque continuatorem Johannem Francken Magdeburgensem, nec non qui hunc excepit Laurentium Perckensteinium.

## III.

**C**Apetina Regum Gallia: Per Witikindum III. Secundi Filium, Witikindi Magni Nepotem: cujus Rami comprehendunt prosapiam.

1. Ducum Borbonii veterum. 2. Ducum Burgundiæ tum veterum cum recentiorum.
3. Ducum Monpenseriorum. 4. Ducum Andegavensium & Lotharingiæ. 5. Ducum Nivernensium, 6. Regum Neapolis & Sicilia: à quibus tum Reges aliquot Ungariæ & Polonia, cum Principes Turentini & Durrachii orti. 7. Comitum & Ducum Vendemiorum, ad quos hodie Gallia & Navarra Regna pervenerunt. 8. Comitum Claremontiorum. 9. Comitum Montfortiorum. 10. Comitum Veromanduorum. 11. Comitum Antissiodorensium. 12. Comitum Druidensium. 13. Principum Britannia. 14. Comitum Artesiæ. 15. Comitum Eboracensium. 16. Comitum Alenconii.

## IV.

**R**ingelheimia per Walbertum Wigberti Filium, Witikindi Magni Nepotem. Vid. Crantz. lib. 3. Saxon, c. II. Conf. Reiner. Reineccium in elegantissimo libello de Saxon. Origin. inde Comites Oldenburgenses & Delmenhorstii, cujus ramus floridissimus Regum Dania & Norvegia, Ducum Holsatia, &c. quos Ducum titulo ab Imperatore Friderico III, amicitia & meritorum Christiani I. Dania Regis ergo ornatus fuisse constat. Vid. Hoeping. de jur, insign. c. 6, part. 5. §. 12.

## V.

**A**llobrogica: per Amadeum Witikindi IV. fratrem, Witikindi Magni Abnepotem Ducum & Principum Subaudia, &c.

## VI.

**M**ontisferratenensis per Witikindum IV. Theodorici Comitum Ringelheimii filium, Walberti Nepotem, Wigberti pronepotem, & Witikindi Magni Abnepotem. Inde Marchiones Montisferati, à quibus descendunt Marchiones Saluzzi, Finarii, &c.

**C**æterum ut ea, quæ de familiis regis illustribusque ex familia Witikindeâ descenditibus diximus, testimoniis vetustiorum rerum Germanicarum scriptorum firmemus, vel maximè ad illustrationem prædictorum spectare putamus tradita Conradi à Lichtenavv Abbatis Urspergensis, digna proinde ut ejusdem verba huc spectantia subjiciantur. *Hujus VVikindi filius VVigbertus, inquit, Urspergensis in Chronico pag. m. 149. Christianæ religionis cultor devotus filium procreavit, quem VValbertum vocavit, qui & ipse ab infantia religiosus, cum factus esset Vir, Romanam causâ orationis & reliquiarum acquirendarum tetendit, corpusque Sancti Alexandri*

xandri integrum accipiens à Papâ tunc temporis Leone, in Saxoniam detulit, & in loco, qui dicitur Vnigaltingohusen locavit. Ex ejusdem Saxonie gentis stirpe vir nobilis & permagnificus est egressus nomine Luitoldus, qui & ipse religionis gratiâ Romam profectus beati Papæ Innocentii reliquias inde abduxit. Hic habuit duos filios, Brunonem & Ottonem: quorum major Bruno, cum totius Saxonie ducatum administrasset, exercitum contra Danos duxit, ibique occisus, Ducatum Ottoni fratri reliquit. His erat soror nomine Luitgart, quam Ludovicus Rex, filius Arnolphi Imperatoris uxorem duxit, sed non diu postea vixit. Quo sine filiis mortuo, omnis Francorum Saxonumque populus voluit Ottoni Duci diadema imponere regni. Quod cum ille quasi jam senio gravior recusaret, ejus consulti Chunradus Francorum Dux ungitur in Regem, summa tamen imperii semper ubique fuit penes Ottonem. Natus est eidem Ottoni filius nomine Henricus, qui primus liberâ potestate regnavit. Hæc præclarè & eleganter Abbas Urspergensis de VVigberti VVitikindi nostri filii familia, liberis, eorumque dignitate laudato loco. Nec minus digna, ut heic de familiis illustribus ex VVitikindo M. ejusque liberis descenditibus legantur verba diligentissimi Germanicarum rerum scriptoris Joannis Naucleri Præpositi Tubingensis in Chronico vol. 2. Chronographia generat. 31. p. m. 725. VVitikind quoque inquit, qui inter eos & claritate generis & opum altitudine eminebat, author perfidia & rebellionis, ad fidem Caroli spontè veniens baptizatus & à Rege de fonte susceptus est. Hujus VVitikind filius VVigbertus, devotus Christianus filium procreavit VValbertum, qui Romam devotionis causa venit, corpusque sancti Alexandri filii sanctæ Felicitatis à papa tum Leone impetravit, ac in loco, qui dicitur Magalthusen locavit. Ex ejusdem Saxonie gentis stirpe vir permagnificus egressus est Lutholdus, qui & ipse religionis gratia Romam proficiscens, beati Innocentii reliquias inde abduxit. Hic habuit duos filios Brunonem & Othonem, quorum major Bruno, cum totius Saxonie ducatum administrasset, in Danos duxit, ibique occisus, fratri Otthoni ducatum reliquit. His erat soror nomine Luitgart, quam Ludovicus Rex filius Arnulphi Imperatoris, uxorem duxit, sed non diu vixit, qui Ludovicus cum sine filiis moreretur, factum est, ut omnis Francorum & Saxonum populus Othoni vellet diadema

imponere regni, quod ille recusavit, & Conrado, de quo supra dictum est, Duci Francorum id jus sit deferri. Otho verò generavit Henricum primum de sorore Ludovici, ut aliqui scribunt tertii. Hic Henricus duxit Mechtildam filiam Theodorici sororem VVitikind Saxonis, sunt qui filiam fuisse Comitissæ Franci putent. Genuit Henrico Mechtilda ante regni susceptionem filiam Gerburgam, quam Gisilberto Duci Lotharingie dederat, quo mortuo ipsa Ludovicum filium Caroli Regis Gallie conjugem nacta est. Habuit Henricus ex Mechtilde Otthonem Magnum, mundi delicias, post regiam verò dignitatem genuit secundum, quem suo nomine vocavit Henricum, tertium quoque filium genuit Brunonem, qui factus est, Episcopus Coloniensis. Duxit autem Otho filius adhuc vivente patre, uxorem Editham filiam Regis Anglorum, hæc peperit ei filium, quem vocavit Luitolphum, quem ille nimium dilexit, sed ipse postea patri rebellavit, genuit ei quoque Regina filiam, vocant hanc Luitgardam, qua postea nupsit Cunrado Duci. Deinde mortuâ Regina Editha, eo anno, quo Ludovicus Rex Gallie ab Hugone est captus, Otho in Italiam ducens, Berengarium vicit circu Annum 951. Adelheidam relictam Lotharii quondam, liberat, ac uxorem ducit, qua sibi Othonem filium generavit. Et res Saxonum his ferè incrementis, postquam Christianam disciplinam accepit natio, summam Germanicæ gloriæ tenuere. Hactenus Nauclerus d. l. cujus verba vel maximè ad illustrationem hujus rei spectare quis non videt?

Equidem ex præmissis primò omnium de VVigberto filio VVitikindi Magni, de quo sequentes leguntur versiculi.

Saxonica Gentes postquam simulachra  
Deorum

Vana reliquissent, sacro baptisate  
tinctæ.

Progenuit VVidekind VVigbertum, sed  
VVigberto

Nascitur egregiâ VValbert virtute po-  
litus;

Hos trinos pietas decoravit casta Dy-  
nastas.

quemve in Monasterio VVigbertshufano cum uxore Sindacilla, Chytræ. Saxon. lib. 3. p. 80. & lib. 12. p. 315. necnon VValberto filio sepultum esse, nemini non notissimum, necnon familiis illustribus ex eodem descenditibus constare poterit. Et sane ex ejusdem stemmate Duces & Electores Saxonie originem deri-

vare, vel ex Gobelino in *Cosmodromio Aetat. 6.*  
 13 c. 38. p. m. 189. constare poterit. Idem VVigbertus VVitikindi M. Filius ejusdemque nepos VValbertus Comitum Oldenburgicorum propagatores. Albert. Crantz, *lib. 2. Metrop. cap.*  
 14 30. quinimo patrem Mathildis augustæ Henrici Aucupis Cæsaris conjugis Theodoricum, quem Comitem de Ringelheim appellat Crantzius, Comitem de Aldenborg nominat Ertvvinus, cui adstipulatur per vetustum MSC. Chronicon VVinckelmanno laudatum, in quo Mathildis Greven Diederickes Tochter von Oldenborgh vocatur, Chytræus *lib. 3. Saxon. in fin.* Comitum Aldenburgenfium stirpem nobilissimam & vetustissimam vocat, quam ex VVitikindi familiâ ortam uno quasi ore tradunt tum veteres cum recentiores scriptores, quos inter Hieron. Henninges qui hanc Genealogiæ suæ partem *Luneburgi anno 1586.* edidit, Elias Reusnerus, cujus opus *Genealogicum Jena Anno 1592.* publici juris factum, necnon Reinerus Reineccius, à quibus non dissentire constat Hermannum Hamelmannum in *Chronico Oldenburgensi* demum post mortem ipsius anno 1559. edito. Sane ex Domo Oldenburgicâ deinde tum potentissimi Daniæ Reges tum illustrissimi Holsatiæ Principes, prodierunt. Porro ex inclitâ  
 16 familiâ VVitikindeâ Comitum Ringelheimensium (quomodo eos appellat Crantzius *lib. 3. Saxon. c. 11.* quamvis VVitichindus & Albertus Stadenfis tantum profapiam illorum à VVitikindo Magno, sine Comitum titulo indicarent) originem rectè derivat historicus eximius Reinerus Reineccius in elegantissimo libello de *Saxon. origin.* Primus Comes Ringelheimius fuit VValpertus VVigberti prælaudati filius VVitikindi Magni verò nepos, Dux Saxonix, Angriæ, VVestphaliæ, & Nordalbingiæ: qui Cœnobium VVildeshusium à patre inchoatum absolvit: & Romam profectus A. C. 846. reliquias S. Alexandri, teste Abbate Urspergenfi in *Chronico*, cujus verba supra adduximus à Leone Pontifice acceptas, in illud transtulit, sepultus ibidem in VVildesbusensi Cœnobio juxta patrem A. C. 856. Uxor ejusdem fuit Altburga sive Adelburga filia unica Comitum de Lesmona: in cujus memoriam de nomine ejus Altenburgum infra VVilshusiam & Bremam extruxit: unde Comitatus Alteburgensis sive Oldenburgicus nomen accepit, cujus Comes postmodum factus Theodoricus I. Comes Ringelheimensis & Alteburgius, cujus uxor Reinhildis Comitissa Mersburgensis & Alteburgensis, quem secuti Theodoricus II. qui circa Annum Christi 910. floruit. Otho Comes Alteburgius Dynasta Ammerlandiæ & Broicmarix: qui vixit in castris Othonum primi & secundi  
 17 Impp. Joannes Comes Alteburgius, qui Henrico II. Imperatori contra Saracenos & Græcos in Italia A. C. 1007. & decennio post contra Polonos militavit, ut nunc de Hunone cognomento Glorioso, ejusque rebus gestis, necnon subsequenter Comitibus Oldenburgicis laudatis Genealogicis scriptoribus nihil dixerim. Sane Comites Oldenburgenses quos in

variis antiquis monumentis & Manuscriptis vetustioribus Comitatus Oldenburgici Archiepiscopi dictos fuisse, observat VVinckelmannus ex antiquâ VVitikindi M. pro sapia ortos esse, tam certum est, quàm quod certissimum. Et quamvis negari non possit posteriores scriptores in quibusdam circumstantiis variare, attamen in summa Genealogiæ à VVitikindo Duce deductæ conveniunt cum Crantzio *lib. 2. Metrop. 30. & lib. 3. c. 25.* quem probant Henninges, Albinus, Hamelmannus, ipseque Reineccius in *Appendice Geneal. ad Albertum Abbatem Stadenfem pag. 4. & seqq.*

Dubium hoc loco occurrit, cur hi ipsi Comites ex stirpe Ducali VVitikindeâ prognati, cum illorum agnati VVestphaliæ Duces vocarentur, ejusmodi titulo & dignitate abstinuerint, Comitumque ordine contentifuerint? Remittimus lectorem ad prælaudatum Reinerum Reineccium de *Saxon Origin.* Sane olim Principes eadem familiâ editi titulis iisdem non utebantur, documenta insignia de Ducibus Alemanniæ, Landgraviis Thuringiæ, Marchionibus Vogburgensibus subministrant Onomasticon Pryn. *ad Annum Christi 1228.* & Lazius *lib. 7. de migrat. gent.* quinimo Idem illud de Othonis Magni imperio explicans: Tempore illo, inquit, tantum filius natus MAXIMUS DUCIS NOMEN RETINUIT, RELIQUI COMITES APPELLATI SUNT. Vid. ea, quæ diximus in *tract. nostro Politico Juridico-Historico de jure Poedpiciæ Magnatum in Europâ l. 4. c. 20. in fin.*

Cæterum quod alterum VVitikindi nostri ex posteriore conjugio natum filium VVitikindum II. (qui quoad titulum ac possessiones paternas, veteri more cessit fratri natu majori, Saxoniæ Orientalis parte quâdam contentus; nempe tractu illo ad VVethinum inter Salam & Albim fluvios, à quo Comitum quoque nomen usurpavit, ac uxorem habuit Julianam sive Niladam Theodoricæ Comitum Rochlicensis ad Muldam filiam) attinet, constat ab eodem originem suam derivare Comites VVethini, & ab his ortos Marchiones Misniæ, Landsbergæ, & Lusatix, qui post varias fortunæ vices primò Comitatum Provinciale Thuringiæ acquisiverunt: exinde etiam avitum Ducum Saxonix titulum, unâ cum septemviratu ad legitimos heredes revocarunt. Sane stemmatis hujus stirpis VVitikindeæ Duces & Comites, eorumque res præclare gestas cum pluribus exhibuerint clarissimi Viri Petrus Albinus Nivemontius, Georgius Fabricius Chemnicensis, ac Elias Reusnerus in *supra laudato opere Genealogico à pag. 269. usque ad pag. 288. inclusivè*, ad eos lectores, necnon in specie segregatis aliis stirpibus VVitikindeis illustrissimam Saxonix Ducum familiam ex VVitikindi M. profapiâ deducentem supra laudatum Wolfgangum Crausen ejusdemque Continuatore Johannem Francken Magdeburgensem remittimus.

Porro cum in præcedentibus dictum sit tertium stemma stirpis VVitikindeæ esse Regum Gallix Capetorum observari meretur, originem eorum



eorundem à Witikindo III. Witikindi II. filio, Witikindi M. verò nepotè deducendam esse. Hic enim quùm domo suâ extorris in Galliam Lugdunensem militiæ exercendæ gratiâ profectus esset; auspiciis Caroli Calvi Imp. in Normannos movit feliciter, à quò deinceps in præmium navatæ operæ præfectus sive Comes Andium constitutus fuit, quem secuti deinceps Rupertus 1. & 2. ejusdem nominis, necnon Hugo Magnus ab Arnulpho Imp. Forchemii Regni Arelatensis, constitutus Governator, quem excepit Hugo Capetus Regum Galliæ nostrâ ætate progenitor Anno Christi 998. fato functus. Hunc secuti, Robertus Pius, Henricus I. Philippus I. Ludovicus VI. Ludovicus VII. Philippus IV. Ludovicus X. Reges Galliæ. Ex quâ Regum Galliæ Capetorum familiâ deinceps prodierunt veteres Duces Burgundiæ, Comites & Duces Britanniæ, Comites Artesiæ, Comites Andium, Duces Lotharingiæ, Duces Borbonii, Comites Eboracenses, Comites Montfortii & Bigorenses aliique.

Neque prætereundi ex stirpe Witikindeâ descendentes Marchiones Montisferrati, & 2.2 Principes Allobrogum, Sabaudiæ, Reufnero aliisque scriptoribus Genealogicis laudati, præprimis verò ex præalta Witikindi familiâ serenissimos Duces Brunsvicenses & Luneburgenses originem suam derivare tam notum esse putamus omnibus quàm quod notissimum; quâ de re nunc colophonis loco elegantissimos versus Viri nobilissimi & paternarum & Avi virtutum ex affe heredis Dn. Henrici Meibomii Philolo-

gi & Medici celeberrimi, nec non Professoris Medicinæ in illustri Juliâ, Adfinis & amici mei fraterni necnon quondam studiorum in eâdem Juliâ commilitonis in Panegyrico de Brunsvicensi obsidione subijcere placuit. ibi.

*Quid verò Guelphos, fatalia nomina dicam?*

*Et VVitichindeâ natos de stirpe nepotes? Francica (quis nescit?) terdenos armâ per annos*

*Inviêtâ belli potuit virtute morari.*

*Regibus ortus avis VVitichindus conditor idem*

*Augustæ stirpis. Non illum terruit hostis Celtarum effusus campis, quâ limes ad Austrum*

*Pyrene Saxosa caput conjungit olympo Quaque recurrenti perfundit gurgite luttus*

*Armoricum Nereus & quâ te manit Alphe*

*Objectu Latium. Spatii tam grandis alumnos*

*Libertatis amans patriæ fideique tot annos*

*Sustinuit Saxo & victor dare terra coegit*

*Multoties, damnumque datum majore rependit.*

## C A P U T XII.

*In quo variæ variorum scriptorum Germanicorum sententia eaque discrepantes, de loco baptismi VVitikindi adducuntur, ac rejiciuntur.*

### S V M M A R I A.

1. Witikindus quos Deastros Saxonicos habuerit? 2. Irmensula Saxonum quale idolum, ac quomodo à Carolo M. destructum? 3. Arminii Ducis Westphalorum laus. 4. Ostra Dea Saxonum. 5. An ab eâdem mensis Aprilis Ostermonath dictus sit? 6. Adducta eâ de re verba Bedæ. 7. Radegastum quale idolum fuerit? 8. Unde dictum? 9. Celebris statua Jodutte qualis fuerit. 10. De Diis Saxonum remissivè. 11. Baptismi elogia ex Patribus. 12. Witikindus an incivitate Wormatiensi? 13. An verò Paderbornensi baptizatus fuerit? 14. Paderbornensis civitas illustris baptismo Saxonum, & adventu Pontificis Leonis. 15. Recensentur scriptores asserentes VVitikindum Mindæ baptizatum fuisse. 16. Adducuntur rationes pro hac

sententiâ militantes. 17. Quibus non obstantibus rejicitur. 18. Rejicitur itidem sententia Fabricii. 19. An VVitikindus Bardeuici baptismi lavacro ablutus? 20. An Mittelbachii id factum. 21. An in baptismo VVitikindi mutata ejusdem insignia fuerint? 22. An Civitas Osnabrugensis locus baptismi fuerit, ac quid de templo Beelheim in quo baptizatum VVitikindum plurimi voluerunt, statuendum? 23. Adducta hâc de re verba Hermanni Hamelmanni Theologi eximii.

**H**Atenus de magni Witikindi Ducis Saxonum fortissimi familiâ illustri, dignitate, rebus in bello contra Carolum M. præclarè gestis, necnon conjugio, familiisque illustribus ex stemmate Witikindeo descendentes diximus, consequens est, ut de alterâ Witikindi eâque spiritali natiuitate ac conversione ad Christianismum in subsequens agamus. Equidem Witikindum jam ante more gentis Saxonice in colendis idolis superstitionis fuisse extra omne dubium est. Quinam verò Dii à Witikindo aliisque Saxonibus præcipuè culti sint, non adeò in vulgus notum est. Verosimile verò est Witikindum communes cum cæteris Germanis adorasse Deastros, Thoronem, Vodanum, & Friggam seu Fream Vodani uxorem, ut est apud Paulum Diaconum *Hist. Longobard. lib. 1. c. 8.* nominibus tantum aliquantisper immutatis, Thoronem namque in Krodonem convertentes, coluerunt sub figura senis in pisce stantis, qui rotam teneret & urnam. Friggam autem sub imagine nudæ feminæ ardentem faculam in pectore: In dextrâ mundi figuram, in sinistra mala aurea tria præferentis: quæ duo idola à Carolo M. subversa scribit Crantzius *Saxon. lib. 11. c. 12.* Sane Vodan tanquam rei bellicæ præpositus Herman dictus est à Saxonibus, cui summum cultum exhibuere usque ad Caroli M. tempora, qui statuam ejus Irmensulam vulgò dictam Anno 772. demolitus est testibus *Annalibus Francorum Fuldensibus ad Annum DCCLXXII.* cui demolitioni à Carolo M. totum triduum impensum, juxta Henricum de Hervordiâ. Vid. Casp. Barth. *lib. 4. Adversar. c. 7.* statua hæc in memoriam Arminii seu Hermanni celeberrimi illius Cheruscorum Ducis ejus fato & vi Varus cecidit, ut loquitur, Tacitus *lib. 1. Ann.* quive ne vivus in Saxonum potestatem veniret, sibi ipsi manus intulit, teste Dione *lib. 56.* Conf. Zonar. *Annal. tom. 2.* erecta, repræsentans effigiem viri armis terribilis observantibus Georgio Fabricio *Originum Saxon. lib. 6.* & Crantzio *lib. 2. Saxon. c. 9.* qui memorat conservatum simulachrum & post visum in monasterio Corbejensi, cum tali inscriptione: *Dux ego gentis Saxonum victoriam certam polliceor me venerantibus.* Ad classem idolorum Saxonorum referenda quoque Dea Oostera, à quâ mensem Aprilem Carolo M. Germanisque adeo omnibus Ooster Monat dictum,

& ipsum festum Paschatos Oostern appellatum fuisse auctor est venerabilis Beda. Juvat ipsa venerabilis Bedæ verba è libro *de Temporum ratione cap. 13.* deprompta heic subjicere. *Aprilis Eostur monath, inquit, qui nunc Paschalis mensis interpretatur, quondam à Dea illorum, quæ Eostre vocabatur, & cui in illo festa celebrant, nomen habuit; à cujus nomine nunc Paschale tempus cognominatur, consueto antiquæ observationis vocabulo gaudiana nova solennitatis vocantes.*

Non prætereundum quoque heic idolum Radegastum, quod & obotritorum juxta Helmoldum *Chronici Slavorum lib. 1. cap. 52.* & Pomeranorum teste Adamo Bremenli *lib. 11. Hist. Eccles. Cap. XI.* idolum fuisse constat, cujus simulacrum ex antiquo Chronico Saxonico exhibet clarissimus Henricus Bangertus *in Commentar. ad Helmoldi lib. 1. cap. LII.* nomen idolo à Radegasto, quem Latini Radagaifium, Græci Ποδογαϊσσοῦ appellat, Rege quondam obotritorum bellicosissimo, de cujus gestis Orosius *lib. VII.* Jornandes *de rebus Geticis*, Paulus Diaconus *lib. XIII.* Ut de celebri statuâ, corruptè Jodutte dicta, in memoriam victoriæ quam Saxonæ sub Lothario Saxonie Duce obtinuerunt, & occisorum, Zedut sive Tiodut clamantium collocatâ, deinde pro Deâ Saxonum adjutrice habitâ, de quâ Crantzius *lib. V. c. 36. Sax.* item *Metrop. lib. 7. c. 7.* Lindebr. *in Chron. Caroli M. pag. 79.* & El. Sched. *Syntagm. 3. de Dis. Germ. cap. 6. pag. 485.* nunc nihil dixerim. Equidem de cæteris Saxonum Diis, lectu jucunda extant, apud Philippum Cluverium *lib. 1. G. A. c. 27.* laudatum Eliam Schedium *de Diis Germanis* H. Grotium *in Proleg. in Procopii Gothica*, & Olaum Wormium *lib. 1. Monument. Dan. cap. 4.*

Cæterum ut ad Witikindum nostrum sacro ablutum baptismi lavacro (per quod medium anima reformata detracta corruptionis pristinae aulæo totam lucem suam conspicit. Tertull. *de anim. c. 41.* per quod cæli nobis aperiuntur, & DEUS nos ad supernam vocat patriam. Chrysoft. *in Matth. Homil. 13.* unde Augustinus januam Ecclesiæ, portam gratiæ, Optutus Milevitanus verò vitam virtutum, criminum mortem, natiuitatem immortalem, & peccatorum naufragium appellat,) redeamus, de loco baptismi Witikindi discrepantes extant scriptorum Germanicorum sententiæ, aliis id Wormatiæ factum asserentibus, aliis lo-

cum

cum baptismi locum ad civitatem Paderbornensem referentibus, & verò posteriori in loco sapius Carolum re pariter & nomine magnum commoratum fuisse, ac de rebus gravissimis deliberasse testatur Regino Prumiensis

13 Abbas *lib. 2. Chron. ad Ann. Dom. incar. 777.* quo in loco & ipsum Witikindum sacris Christianorum interfuisse, & ob incurvum dextræ digitorum agnitum ad Carolum M. perductum, tradit Albertus Crantzius *lib. 2. hist. Sax. t. 23.* ex Cranzio idem posteritati reliquerunt tum eruditissimus Petrus Cutsemius in *Saxoniâ Catholicâ pag. m. 20. & 21.* tum florentissimus rerum Gallicarum scriptor Joannes de Bussières Bellijocensis *lib. 4. pag. m. 286.* Adde quod Paderborna conventu & baptismo Saxonum non modo sed & adventu Pontificis Leonis fati fuerit illustris, de priori Autor Vitæ Caroli M. apud Pitheum. ad Ann. 777. *Dominus Rex Carolus publicam synodum habuit ad Paderbrunnen, ibi convenerunt omnes Franci & omnes Saxones, excepto, quod VVidochindus rebellis exstitit, & cum paucis aliis sociis suis in Normandiam confugit.* Annal. Fuldens. apud Freher. *Ibi Saxones baptizati ingenuitatem, & omnem proprietatem suam, secundum morem gentis, abdicantes Regi tradiderunt, si à die illâ, & deinceps Christianitatem, & regi ac filiis fidelitatem abnegassent,* de posteriori itidem testantur Annal. Fuldens. apud Freherum, Sigonius *lib. 4. hist. de Regno Italia,* necnon vetus Poëta editus à Reineccio, qui iudicio Henrici Canisii putatur esse Alcuinus Flaccus, Caroli M. & S. Ludgeri præceptor, cujus carmen pompam, quâ Paderbornæ exceptus est Leo Pontifex à Carolo M. exhibens extat in *Monumentis Paderbornensibus pag. m. 174. 175. 176. 177. & 178.* Quæ cum ita sint, verosimile videri posset, & Witichindum ibidem sacro baptismi lavacro ablutum fuisse. Cæterum cum hæc de re altum sit silentium apud vetustiores Rerum Germanicarum scriptores, merito eandem rejicimus.

Quibusdam placuit heic Mindæ ad Visurgim magnum Witikindum baptizatum fuisse, observatum id ipsum ex recentioribus à Viro clarissimo & Germanicarum rerum indagatore solertissimo Johanne Justo Winckelmanno Consiliario & Historico Hassiaco & Oldenburgico in *Notitia Historico-Politica Veteris Saxo-VVestphaliæ, finitimarumque regionum lib. 4. c. 3. n. 52. p. m. 388.* Ante eundem hæc ipsa sententia probata fidelissimo necnon diligentissimo rerum Holsaticarum scriptori Johanni Petersen in *Chronico Holsatico Anno Christi 1557. publici juris factò in quo pag. m. 5. sequentia legimus.* Im Jahr 700. hat Carolus der Groß / inquit, in freyem Geleide für sich gefoderet in Minden (die andere wollen in Bardewik) VVedekendum und Albionem, sie dahin beredet / daß sie den Christlichen Glauben angenommen / sich tau-

fen ließen / der Keyser 100. dt selbst Wedekindi Gefatter. Hæc Johan Petersen laudato loco. Pro quâ equidem sententia plurimæ eaque speciosæ adduci possent rationes, quem enim præterit, VVitikindi sedem Mindam fuisse, à quo ut fama est, insignia clavium accepit, quem itidem templo majori ANNO CHRISTI 16 DCCLXXX. extracto varia donaria ornamentaque obtulisse tum Chronica Mindensia manuscripta tum edita testantur. Sane in Civitate Ducatuque Mindensi VVitikindum quid est quod non loquatur, sonet, celebret? Heic arcem suam habuisse VVitikindum constans per aliquot secula fama fuit, quinimo à verbis VVitikindi Mindin, quibus sibi ac Episcopo loci arcem hoc loco sitam ex æquis partibus attribuisse, tradunt plurimi, quos inter Sebastianus Munsterus *lib. 5. Cosmograph. c. 405. p. m. 1220.* civitatem hanc primò Mindin, ut in privilegio Ottonis Imperatoris dato Ecclesiæ Mindensi Anno Dominicæ incarnationis 961. tractu temporis verò Minden dictam fuisse, recepta ab antiquissimis temporibus omnium sententia fuit. Locus quoque ille notissimus haud procul ab urbe Mindensi prope Visurgim situs, vulgò VVitikindi lapis, VVestphalis VVedgenstein dictus, Witikindi titulo etiamnum immortalis satis arguit, tractum hunc tum temporis Episcopatus nunc Ducatus Mindensis ad VVitikindum spectasse. Adde quod fons ille exportam S. Mariæ hunc usque in diem fons Regis, VVestphalis der Königsbrunn dicatur, mitto quæ ad illustrationem hujus rei spectantia ex Chronico Mindensi incerti Authoris à Meibomio edito adduci possent, Verum enim verò 17 quò minus huic sententiæ calculum adjicimus, movet me tum silentium vetustiorum rerum Germanicarum scriptorum, apud quos me nupiam tale quid legisse memini, tum quod testimonia præadductorum scriptorum, utpote recentiora, suspecta videantur, adde quod & hujus sententiæ authores ipsimet dubitantes rem totam in medio relinquunt, prout vel prælandata verba ex Chronico Holsatiæ Johannis Petersen non obscure probant Reliqua argumenta utut speciosa, itidem contrarium haud evincere ex infra dicendis constabit. Cæterum inter probabiliores sententias adduci quoque meretur illa Fabricii *Or. Sax. p. 433.* asserentis 18 VVitikindum Saxonem venisse per Ocrum fluvium Volmerstadium ad Carolum M. ibique baptizatum fuisse Conf. Crantz. *lib. 2. Saxon. cap. 12.*

Quidam quos inter Auctor incertus de fundatione quarundam Germaniæ Ecclesiarum in Sylloge Maderi *Antiquitatum Brunsvicensium* scriptores aliquot complexa, putarunt Wormaciæ uti supra hoc capite observatum baptizatum esse Witikindum. Verum enim verò cum præcedentes sententiæ à vetustioribus rerum Germanicarum scriptoribus non sint approbatæ, ut suspectas in medio relinquimus.

Aliis placuit Bardevvici baptizatum esse Witikindum, itidem contra tradita antiquissimorum scriptorum Germanicorum, eorumque fide-

19 lissimorum, quibus in hoc fide tribuenda. Inge-  
nuè hoc ipsum agnovit eminentis eruditionis  
Vir Caspar Sagittarius in *Historia Antiquis-  
sima Urbis Bardewvici* cap. 3. §. 27. *Quam  
vellem verum esset, inquit, quod non nulli  
putant, Bardewvici baptizatum esse VViti-  
kindum. Habere enim, de quo singula-  
riter Bardewvicensibus gratularer.* Krant-  
zium *Saxon. lib. II. cap. XXIII. hanc de re  
ita scribit: Tradunt nonnulli Regem tum  
in Bardewvico consedisse, cum ad eum VVe-  
dekindus perveniret. Sed quia hæc An-  
nalia fide destituuntur, nolim per com-  
mentitia gloriam fenerari Bardewvicensi-  
bus. Nam is satis exinde gloriae quod ali-  
quando hospitium præbuerint tanto Regi.*  
Hæc Sagittarius d. l.

Recentiores scriptores Germanici tradunt  
factum id fuisse Mittelbachii à Bonifacio Præsu-  
le. Vid. post Crantzius Münster. l. 3. *Cosmo-  
graph. cap. 435. Herm. Hamelmann. part. 1.  
20 Dero Oldenburg. Chronick. c. 1. Spangen-  
berg part. 1. Nassfeldischer Chronick. c. 79.*  
adduntque tum temporis à Carolo M. mutata  
VVitikindi insignia fuisse, & pro atro equo al-  
bum in campo rubro absque frenis, & ephippio  
salientem concessum, nec amplius Carolum  
Magnum prisco nomine Ludgerum, sed VViti-  
kindum appellari voluisse, ut ex Sacro, renatus  
fonte omni ex parte candidus esset. Vid. Suffrid.  
Petr. l. 3. *de Orig. Fris. c. 5. p. 321. Conf. ex re-  
centioribus Gryphand. de VVeichbild. Saxon.  
c. 27. n. 17. præprimis verò Theodorum Hæ-  
pingium in præclaro opere de jure insignium. c. 6.  
part. 5. membr. 2. n. 698. p. 342. Verum enim  
verò & hæc sententia haud probata antiquiori-  
bus rerum Germanicarum scriptoribus meritò  
suspecta itidem videtur, suspectum itidem, quod  
de Bonifacio Præsule, memorant recentiores.  
Quòd verò mutata insignia attinet, videntur de  
veritate hujus rei testari Serenissimorum Ducum  
Brunsvico-Luneburgensium insignia, isti ævo  
suam originem transcribentia, quamvis me ni-  
hil hanc de re apud vetustiores rerum Germani-  
carum scriptores legisse meminerim. Krantzius,  
qui mallem Auctores suos laudasset *Saxon. lib.*  
21 *II. Cap. XXIV.* rem adeo memorabilem sequen-  
tibus verbis posteritati reliquit. *Armorum in-  
signia, inquit, quæ militibus (ut sit) signis præ-  
ferebat, pullum equinum habebat atrum: sed  
placuit Regi, postquam de tenebris gentilium er-  
rorum pervenit in lucem veritatis, ut candidum  
acciperet. Ea verò sunt vetustissima Saxonis ar-  
ma. Meminit ibidem Martinus Hamconius in  
Frisia sua de Hengisto canens.**

*Sed Equus datus ater & huic est,  
Nomen avi, sortemque notans: quem Ca-  
rolus album  
Fecit; ut & sacro VVitikindum fonte le-  
vasset.*

Quod verò porro immutatum nomen VViti-

kindi concernit, ac quod ante baptismum Lud-  
gerus vocatus fuerit, nihil itidem eâ de re extat  
apud vetustiores, neque vero simile est Annales  
Francorum, VVitichindum Monachum Corbe-  
jensem antiquissimum historiae Saxonicae scri-  
ptorem, eumque fidelissimum, qui sub Henrico  
Aucepe & Othone Magno floruit, & Othonis  
Magni res gestas descripsit, Ditmarum Merse-  
burgensem in Misniâ Episcopum, qui libris  
VII. gesta quinque Imperatorum Henrici I.  
Ottonum I. II. III. & Henrici II. cujus tem-  
poribus vixit descripsit, sincerissimum scripto-  
rem eundem appellat Possevinus laudatus Ge-  
rardo Joanni Vossio in *tr. de historicis Latinis lib.*  
3. *part. 4.* in quâ de historicis prætermisissis agit,  
cap. 5. p. 766. necnon Reginonem Abbatem  
Prumiensem, qui circa Annum Christi 900. flo-  
ruit, aliosque posteriorum seculorum historio-  
cos, ut de recentioribus nihil dixerim, rem adeo  
memorabilem omissuros fuisse, Sane iidem uno  
quasi ore, non aliud, quàm VVitikindi nomen  
incomparabili nostro Principi, & defensori li-  
bertatis Germanicae etiam ante baptismum tri-  
buerunt.

Porro aliis placuit Osnabrugi VVitikindum  
baptizatum fuisse. Wernerus Rolevinc *de sit.*  
22 *& morib. VVestphal. c. 7.* tentatâ conciliatione  
scriptorum à se invicem dissentientium, putat  
venisse quidem VVitikindum cum Albione ad  
Carolum in Bardewvick juxta Crantzius *lib. 2.*  
c. 13. & 14. *Saxon.* ibique factum Catechume-  
num, sed postea in Beelheim, tunc dicto Bethle-  
hem templo, jam receptâ suâ arce Widekesburg  
prope Osnabrugum à Wedekindo extructo ba-  
ptizatum fuisse, addens in hujus pagi templo præ-  
tiosum baptisterium, tanquam ejus rei antiquum  
monumentum hodiernum ibidem extare.  
Hæc sententia ex recentioribus placuit Johanni  
Justo Winckelmanno Consiliario & Historico  
Hassiacò & Oldenburgico in *Notitiâ historico-  
politica Veteris Saxo. VVestphalia finitimarum-  
que regionum l. 4. c. 3. n. 52.* 23 Digna quoque, ut  
heic legantur Theologi eximii Hermanni Ha-  
melmanni verba, quæ in ejusdem in paucorum,  
ut puto, manibus extante *delineatione urbium  
& oppidorum VVestphalia posteritati reli-  
cta.* Scribit Rolevingius, inquit, quod con-  
versus VWedekindus & jam receptâ suâ ar-  
ce prope Osnabrugum curaverit edificari  
Ecclesiam nomine Bethlehem, in quâ ve-  
luti Christus natus est in Bethlehem, ille  
voluit per baptismum renasci, ideoque ta-  
le nomen Ecclesia indidisse VVidekindum:  
hanc hodie contraete Belheim pro Bethle-  
hem vocant, & de hanc re hodie etiam extat  
cantio apud rusticos: Et quanquam Krant-  
zium neget in Saxoniam libro 2. capite 13. &  
14. hoc docens in Bardewvico VVidekin-  
dum & Albionem venisse ad Carolum, &  
ibidem initiatos esse, imò contra asserat ca-  
pite 23. quosdam esse, qui tradant VVede-  
kindum salutis initium Mindæ suscepisse:  
Anna-

*Annales quoque, cujusdam Monachi Benedictini referant venisse utrumque ad Carolum in pagum nomine Bardengavv, & tandem datis obsidibus per Amalvinum ad conspectum Caroli venisse in Attiniaco villa & ibi baptizatos esse: Imo Krantzius in Metropoli lib. 1. cap. 4. scribat, quod prope Hasam flumen magno pralio victus, se tandem subdiderit Carolo, & factus Catechumenus institutus sit in fide, & deinde susceperit baptismum &c. Has tamen scriptorum pugnas*

*sic conciliat, puto ex Ipannis de Effendia & Hermanni ac Henrici de Hervordia scriptis (quos dicit se sequi) Rolevingius, quod quidem venerit cum Albione ad Carolum in Bardevvick ibique sit factus Catechumenus, sed postea in Beelheim, tunc dicto Bethlehem, sit baptizatus, in cuius pagi templo egregium baptisterium, tanquam ejus rei antiquum monumentum extat adhuc hodie: Haftenus Hermannus Hamelmannus d. loc.*

## C A P U T XIII.

*In quo probabilior de loco baptismi Vitikindi exhibetur firmaturque vetustiorum Germanicarum rerum scriptorum testimoniis sententia.*

### S V M M A R I A.

1. Carolus M. aliquoties Bardevvicum venit
2. Antiquitas urbis Bardevvicensis exposita
3. Witikindus quomodo à Carolo M. ad suscipienda sacra invitatus?
4. Witikindus & Albio belli Saxonici Duces Attiniacum in Franciam evocati ibidem baptizati fuere.
5. Attiniacum locus baptismi Witikindi.
6. Id quod adductis testimoniis Annalium Fuldensium, Reginonis, Abbatis Urspergensis, & Gobelini probatur
7. Laudata hac de re ex recentioribus verba Joannis de Bussieres, 8. necnon Crantzii
9. de miraculosa visione Vitikindi adducuntur aliorum scriptorum testimonia.
10. An Carolus M. sacra coenâ sub utrâque specie usus fuerit?
11. Verosimile hoc esse probatur rationibus.
12. An libri de imaginibus sub nomine Caroli M. publicati ab Alcuino scripti?
13. Locus insignis pro asferendâ communione sub utrâque quoad Carolum M. ex Thegano chor Episcopo Trevirensi laudatus.
14. Apud Reges Francorum cur communio sub utrâque specie usque ad hunc diem juxta scriptores obtinuerit, ac recepta fuerit?

**R**ejectis capite præcedenti variorum scriptorum circa locum baptismi Witikindi sententiis, nunc nostra eaque verisimilior sententia exhibenda, testimoniisque vetustiorum scriptorum rerum Germanicarum corroboranda. Et verò veterum monumenta evolventibus obscurum esse non poterit Carolum Magnum aliquoties Bardevvicum sive Bardorum vicum, *Annalibus Francicis* Bardenvvig, Poëtae Anonymo in *vita Caroli M.* & Ansegiso in *Constitut. Caroli Magni* l.

3. c. 6. verò Bardonvich dictum, (quam urbem, si vera est fama antiquissimam totius septentrionalis Germaniæ ac Româ vetustiore centum & duobus annis fuisse putat Buntingus *prima parte Chronici Brunsvicensis*, ac denique Anno DCCLXXV. stipatum non paucis primoribus Regni venisse. Hi Witikindo nostro & Albioni (quem Poëta Anonymus Saxo Abbonem vocat) belli Saxonici Ducibus spem fecere veniæ, modo unicum illud, quod Carolus M. Princeps naturâ mitis ac moderatus ab iisdem

dem postulasset hæcenus, neque etiamnum denegari sibi vellet, obsequenter præstarent, nempe ut nefandam majorum religionem abjicerent, siquidem hoc ad salutem eorum æternam pertineat, utriq; vero genti tam Francicæ, quàm Saxonicæ pacis & tranquillitatis optatissimæ spem ostendat indubitatam. Idem proceres Carolo, hortatores fuere, mitteret ex proceribus aliquem ad Witikindum nec non Saxones, indicatum: non heic periclitari libertatem, cuius vindices se profiteantur: quæri ipsis summum bonum, quod mortalibus evenire possit, nempe ut veri DEI agnitione imbuti, de æterna beatitudine acquirenda certi reddantur: deinde pace, quæ teste Silio Italico. l. 11,

*una triumphis*

*Innumeris potior.*

Perfruantur secunda ac inviolata. Placuit optimo Imperatori Carolo Magno consilium, misso igitur Amalvino aulico, cum obsidibus magnum Witikindum herodem fortissimum, & Albionem Duces belli Saxonici Attiniacum in Franciam evocavit. Quo in loco abjecto idolorum Saxoniorum cultu baptizati, & in religione Christiana fideliter instituti fuere, Vid. Henric. Meibom. in *Histor. Bardevici*.

Cæterum ut præmissa testimoniis antiquissimorum Germanicæ scriptorum firmemus, producimus primò omnium in medium Auctorem antiquissimum Annalium Fuldensium, qui Attiniaci Wittikindum esse baptizatum confirmat his verbis: *Vitikingi Saxo Attiniaci ad fidem Caroli venit, & baptizatus est* quibus addimus Regnum Abbatem Prumiensem, fidelissimum rerum Germanicarum historicum, & Chronologum satis accuratum. Is igitur lib. 2. *Chronici sui* p. m. 402. cum narrasset Carolum Magnum Anno dominicæ incarnationis 785. Heresburgum venisse, ibique cum coniuge suâ cum filiis & filiabus totâ hieme commoratum fuisse, & Synodum, ut Reginonis verbis utur, ad Paderbrunnam habuisse, & inde totam Saxoniam circuivisse, subiungit sequentia. *Venit autem in Bardenguni (Bardevicum, de quo supra diximus) & inde misit post Vuidichindum & Abbionem, & utrosq; ad se fecit venire, quos sacramento firmavit, ut in Franciam ad eum venirent. Qui acceptis obsidibus, ad Attiniacum ad Regem venerunt, ibique baptizati sunt, & tunc tota Saxoniam subjugata est Francis, & in eadem villa celebravit Rex Natale Domini & Pascha similiter.* Hæc Regino laudato loco. Idem tradit Conradus à Liechtenavv Urspergensis Cænobii, Ordinis Præmonstratens. ad Mindulam, in Augustana Diocesi Abbas, qui circa annum Christi MCCXXX. floruit & iudicio Viri summi Gerardi Joannis Vossii de *histor. latin. lib. 2. c. 57.* in rebus Germanicis sui ævi, & seculorum, quæ proxime antecedunt, habet, quæ magno cum fructu legantur. Verba ejusdem itidem digna esset existimamus, ut heic legantur. *Tractum per tot annos bellum, inquit, eâ conditione constat esse finitum, ut abjecto demonum cultu, Christianæ religionis sacramenta susciperent. Quod & fa-*

*ctum est. Vitikingi quoq; qui inter eos & claritate generis & opum magnitudine eminebat, ad fidem Caroli sponte veniens, apud Tiniacum baptizatus, & à Rege de fonte susceptus est: sicque Saxoniam tota superata & subjecta est.* Gobelinus Persona Decanus Bilefeldensis in *Cosmodromio* *Etat. 6. c. 38. p. 190.* de conversione Witikindi ad Christianismum sequentia posteritati reliquit. *Anno DCCCLXXV. Vitikingus Dux Saxonum & Albio Saxo, ex Transalbiana regione Carolum pro Gratia impetranda adeunt, quam consecuti baptizati sunt. Et deinde tota Saxoniam subacta est.* Hæc Gobelinus laudato loco, quem sequitur Crantzius, qui in more positum habet priorum historicorum Germanicorum præpripis Gobelini, nullâ authorum factâ mentione, scripta compilare, prout ex collatione eorum, quæ lib. 10. *Metrop. Crantzii* c. 12. ab undecimo ad 22. habentur cum illis, quæ *Etatis sextæ capitibus* 74. & sequentibus octo à Gobelino in *Cosmodromio* exponuntur, nemini non constare putamus, quippe ubi non restant, sed & verba in Crantzio continuatur eadem. Rolvinckius laudat pro hâc sententia Gregorium Turonensem, sed neque is, neque Fredegarius Scholasticus Gregorii continuator mi ævum Caroli M. attigerunt. Non omiserim heic ea, quæ disertissimus Joannes de Bussieres Belliociensis inter recentiores diligentissimus Historiæ Francicæ usq; ad modernum Christianissimum Galliarum Regem scriptor de conversione Witikindi nostri ex antiquis monumentis tradit lib. 4. p. m. 286. *Nec dubitavit Carolus, inquit, de Vitikingo, virum arcessere, impunitate promissâ, datisq; obsidibus. At is prudentia supra barbarum magna, ut quæ de Carolo eximia acceperat, spectaret oculis, in mendicimodum pannosus Paderbornam se confert, eo tempore, quo Christiani luctuosissimam Domini mortem merore animi corporisq; pænis concelebrant; attentè & consideratè omnia perspicit; videtq; sub proximam Resurrectionis faustissimæ diem, in summam hilaritatem verti luctum atq; tristitiam: quâ die, cum ad Carolum accedens propius, & mendicorum turba immistus, quibus Rex optimus suâ stipem manu largiebatur, fortè ab Aulico ob incurvum dextra digitum agnitus, Carolo sistitur, fassusque se Vitichindum, perbenignè excipitur; inde abominatus idola, baptismo inauguratur; gratulante Carolo celo & sibi, quod in utrumque perduellis obstinatissimus, divinæ & humanæ clementiæ apex foret; moxque ipsi Ducatum Angrianum dedit, futura merita beneficiis occupans.* Hæc Joannes de Bussieres d. Eadem de Witikindi conversione jam antea Albertus Crantzius, in *Metrop. Sax. l. 1. c. 9.* & *hist. Saxon. l. 2. c. 23.* sequentia posteritati reliquit. *Erat tum, inquit Crantzius,*

*san-*

8 sanctissimus Pascha dies Rex hilariter excepit venientem, percontatus quid sibi vellet, indignus principe habitus. Ille sub hac: *Volui, Serenissime Rex, hoc habitu incognitus, ut sperabam, lustrare secreta gestorum, quæ cognitus non tam fidenter aspicerem. Curiositas induxit, ut latibulum quærerem, qui inter tuos nunc in gratiam susceptus, propalam potero percontari, quæ vellem. Quid igitur, inquit Rex, vidisti, quod te vidisse delectat? ille ut erat adhuc rerum Christianarum rudis, subintulit: Vidi, quod mirabar, ante biduum te dimisso vultu tristem, incertus quid contigisset, quod tantum Regem contristaret: (Commemoratio fuit Dominica passionis, quâ die Parasceves regium vultum obscurasset) rursum, inquit, vidi hodierna te die primum sollicitum, & ad rem attentissimum: postquam verò mensam adieras in templo mediam, ita hilari mihi conspectus es vultu, ut repentina in te mutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat videre, quod de manu purpurati sacerdotis singuli pulchellum puerum in os susciperent quem quibusdam ludibundum arridere, ultro properare, aliis vero abhorrentem avertisse vultum, & tamen in ora demissum, nec redeuntem aspexi. Hoc quid sit necdum accipio. Tum Rex, benè, inquit, profecisti, plus tibi aliquid quàm cunctis sacerdotibus & omnibus nobis est ostensum. Inde mutata veste manu secum abstractum docuit grande pietatis mysterium in Altaris sacramento. Quâ re cognitâ exhilaratum Ducem orasse, ut proprium illi sacerdotem permetteret, qui divinæ rei curam haberet, crebriusq; in conspectu perageret Altaris sacratū mysterium. Rex etiam Pontificem illi daturum promittit, modò illi habitationem Episcopo dignam providerit. Ducem verò arcem suam ad V Viseram utriusque capacem ostendisse: deditque in ejusdem arcis non ex suo circo locum adificandæ ecclesiæ. Ferunt proinde nomen Ecclesiæ provenisse, quod meum & tuum, quasi communis duorum possessio sonat in linguâ Saxonum vernaculâ *Min. din.* Erat vir præcipuâ religione Herimbertus, qui cum Carolum latere non posset. Dignus est habitus, quem primum præficeret eidem Ecclesiæ Mindensi Episcopum. Ex Crantzio eadem repetit Petrus Cürsemius S. S. Theol. D. celeberrimus in Saxonîâ Catholicâ p. m. 20. & 21. Meminitque præterea miraculosæ hucus visionis Chronicon Magdeburgense, è quo deinde hausit Laurentius Faustus, inseruitq; Genealogiæ Saxonice Anno 1588. publici juris fa-*

ta, quam quidem relationem, ne aliquid intactum relinquamus, omittere quidem nolimus, cum verò eâ de re apud antiquiores rerum Germanicarum scriptores altum sit silentium, in medio relinquere cogimur, interim id unicum etiamnum monentes, verosimile omnino esse non obstantibus laudatis Crantzii verbis à quibusdam pro firmandâ communionem sub unâ adductis, Carolum M. Imperatorem sanctâ Eucharistiâ sub utrâque specie usum fuisse, ut enim nunc non adduxerim vetustiorum Ecclesiasticorum aliorumque ævi Carolini & sequentis scriptorum testimonia, quibus utriusque speciei usum jam isto tempore probare plurimi voluerunt, quo spectant tradita Gregorii M. in Homil. in Evang. 22. ut & in Psalm. 6. pœnit. necnon in Dialog. l. 4. c. 5. & l. 3. c. 36. Bedæ in homiliâ ad hæc verba, Vidit Johannes Jesum ad se venientem inter homilias hyemales de sanctis tom. 7. pag. 446. Isidori de Divin. off. l. 1. c. 15. Gregorii 3. in Epist. ad Bonifac. Moguntin. in 2. tom. Concil. p. 441 Rabani Mogunti Episcopi de Instit. clericor. l. 1. c. 33. Reginonis de disciplin. Eccles. cap. 119. Ruperti Abbatis Tuitiensis de divinis offic. l. 2. c. 9. & lib. 6. c. 3. Anselmi Archi-Episcopi Cantuariensis in 1. ad Corinth. c. 10. Conf. Callandr. in consultat. de commun. sub utraque specie, qui tum ad libellum ordinis Romani, tum ad historiam Martini V. Papæ, qui universum Populum Romanum corpore & sanguine Domini communicasse legitur, tum ad Gregorium P. scribentem Christi sanguinem in ora communicantium infundi, tum denique ad inveteratum à multis seculis consuetudinem Ecclesiæ Romanæ provocavit, videtur hæc nostra sententia, ut non dixerim jam eandem aliquo modo probari posse testimoniis ipsius Caroli M. in lib. de Imagin. l. 2. c. 27. l. 3. c. 6. ac l. 4. c. 14. quibus nunc tamen, utpote teste Rogero ab Hoveden Britanno in Annalibus ad Ann. 792. potius ab Alcuino scriptis, & sub nomine Caroli M. publicatis non rejiciendis interim, non utimur; non parum firmari loco insigni extante apud Theganum Chor. Episcopum Trevirensis de gestis Domini Ludovici Imperatoris; quod scriptum inter alia monumenta germanica editum à Viro summo Petro Pithæo. Is igitur p. m. 299. de beato obitu Caroli M. verba faciens, inter alia sequentia posteritati reliquit. *Sequenti verò anno, qui est annus Regni ejus XLVI. mense Januario accepit Dominum Imperatorem febris post balneum, tumque per singulos dies laboribus ingravesceret, nihil comedens neque bibens, nisi modicum aque ad recreationem corporis, septimo die postquam laborare cœpit jussit familiarissimum Pontificem suum Hiltibaldum venire ad se, ut ei sacramenta Dominici corporis & sanguinis tribueret, ut exitum suum confirmaret. Quo facto laboravit in infirmitate diem in illum & noctem sequentem In crastinum verò luce adveniente, sciens quod facturus erat, extensa manu dextera virtute qua poterat signum sanctæ crucis fronti imprimens & super pectus & omne corpus consignavit. Novissime autem colligens pedes suos, extendens brachia*

*Et manus super corpus clausit oculos psallens hunc versum leniter: In manus tuas commendabo spiritum meum. Statim posthac in senectute bona plenus dierum perrexit in pace, ipsoque die humatum est corpus ejus in Ecclesia quam ipse construxerat Aquisgrani palatio anno etatis sue LXXII. Indiēt. VII. Hæc Theganus d. I. possent pro hâc sententiâ etiam quædam ex Capitulari Caroli M. adduci, sed præter illa, de Carolo M. enim nunc tantum loquimur, vel maximè pro stabiendiâ hâc sententiâ facit, quod non modo an-*

*tiquissimis sed & nostris temporibus usus utriusque speciei tam apud veteres quam modernos Christianissimos Francorum Reges receptus fuerit, scilicet eâ ut ex re in Regibus Franciæ sanctius aliquid, quàm in cæteris hominibus inesse intelligatur, ut putat Cormerius laudatus Limnæo in Notit. Regni Franciæ lib. 2. c. 6. *Rer. gestarum Henrici lib. 1. p. 19.* vel ut Theologi Regi Franciæ responderunt, quod uncti sint Reges Galliæ æque ac sacerdotes. Sleidan. *Comment. lib. 9. p. 151.* Vid. Limn. d. l.*

## CAPUT XIV.

### *De Ritibus aliisque lectu ac observatione dignis circa baptismum VVitikindi occurrentibus.*

#### *SVMMARIA.*

1. Cum Witikindo simul & Albio Dux Saxonix, aliique proceres baptismi lavacro tincti.
2. Carolus M. manus admovit baptizando VVitikindo
3. id quod probatur plurimis scriptorum vetustiorum testimoniis.
4. Notatus annus baptismi VVitikindi.
5. An baptismus VVitikindi factus solemni Paschali die?
6. quod ut verosimile propugnatur rationibus adductis
7. In primitivâ ecclesiâ baptismi duo solemnia tempora fuisse Pascha & Pentecosten testimoniis scriptorum Ecclesiasticorum evincitur.
8. An idem hic mos obtinuerit tempore Caroli M?
9. Baptisteriorum usus antiquissimus.
10. VVitikindus an in flumine baptizatus?
11. Adductâ eâ de re testimonia Chronici Misnici-Fabritii, & verba Brotuffii ex Chronico Ducum Anhaltinorum.
12. Versus elegantes Paulini de baptismo adducti
13. Catechumenis in primitivâ ecclesiâ per totam quadragessimam præcipua fidei Christianæ capita expositâ?
14. Quænam abrenunciationis diaboli operûq; ejus formula lingua Saxonica in baptismo Witikindi adhibita?
15. An tempore Caroli M. characteres jam suos habuerit lingua Saxonica?
16. Carolus M. Imperator eruditissimus auctor Grammaticæ patrii sermonis.
17. Referuntur hac de re verba lectu digna Joannis Trithemii.
18. Observatus locus illustris ejusdem Trithemii de origine VWestphalorum & translatione Saxonum à Carolo M. facta.
19. De antiqua lingua Saxonica agitur remissivè.
20. An VVitikindus cum Albione albis vestimentis induiti ad baptismum accesserit?
21. An VVitikindi nomen in baptismo immutatum?
22. Adultis vel mutare vel retinere antiquum nomen fas erat.

Cæte-



**C**æterum ne aliquid, quod ad illustrationem historiae Witikindeæ spectare videatur, intactum relinquatur, pretium operæ meæ facturum putavi si & alia circa baptismum Witikindi tum observatione digna cum lectu haud injucunda occurrentia, summo quasi digito attigerim, circa quæ si forte non omnibus satisfecero, tamen nec conatum meum circa indagacionem rerum vetustissimarum occupatum profus displiciturum confido.

Quod igitur Witikindum nostrum attinet, non solum eundem baptismo tinctum fuisse, sed insuper Abbionem testantur antiquissimi Rerum germanicarum scriptores. Regino *lib. 2. chronici sui p. m. 402.* Conradus à Lichtenavv Urspergensis Abbas *in chronico* & Gobelinus Persona Decanus Bilefeldensis *in Cosmodromio etat. 6. c. 38. p. m. 190.* qui pro Abbione Albionem Saxonem substituit, quinimo præter Witikindi totam familiam & plurimos Gentis germanicæ Proceres simul baptifatos fuisse putarim, nec dubitandum ipsum Imperatorem augustissimum Carolum Magnum manus admovisse baptizando Witikindo, & pro eodem spondisse, nec minus Reginam Frastardam pro Gevâ Witikindi conjugè, quod ipsum non obscure vel ex eo colligere licebit, quod ad instantiam Caroli M. Witikindus & Abbio ad villam Attiniacum, ubi tunc Carolus M. commorabatur, pervenerint, ibique baptizati fuerint, cui tam solemnè tam illustri aequi, quò & desiderio magni Caroli Imper. satisfactum, majorique ex parte bello diuturno finis impositus, ipsum prælaudatum gloriosissimum Imperatorem non interfuisse, quis negabit? præsertim cum hæc sententia antiquissimorum scriptorum Germanicorum testimoniis sit comprobata. Vid. Conradum à Lichtenavv Abbatem Urspergensem *in Chronico.* ibi. *Vitikint quoque ad fidem Caroli sponte veniens apud Tinianum baptizatus, & à Rege de fonte susceptus est.* Joannes Nauclerus Præpositus Tubingensis *in Chronico pag. m. 725.* sequentia hæc de re posteritati reliquit. *Vitikint quoque ait, qui inter eos & claritate generis & opum amplitudine eminebat, author perfidie & rebellionis, ad fidem Caroli sponte veniens baptizatus & à Rege de fonte susceptus est.*

Quod si quispiam heic, nec immerito testimonia vetustiorum scriptorū requirat, subjicimus verba antiquissimi Karoli M. vitæ scriptoris, qui ex bibliothecâ Viri de editis scriptoribus Francicis præclarè meriti P. Pithoei prodiit, quemq; ipse putat fuisse monachū cœnobii Egilismensis S. Eparchium *p. m. 248.* *Inde iter peragens, inquit de Carolo M. verba faciens viis apertis, nemine contradicente, per totam Saxoniam, quocunq; voluit ambulavit, venitq; in Bardingauin. Et misit post Witichindum & Albionem & utrosq; ad se conduxit, & firmavit ut non se subtraxissent nisi in Franciam ad eum pervenissent, petentibus illis securitatem, si venissent, quod & factum est. Inde reversus in Franciam misit illis obsides per missum suum Amalunonem. Quos cum recepissent, cum ipsis adjunxerunt se ad Dominum Regem Carolum ad*

*villam Attiniacum, ibi baptizati sunt Vindochindus & Abio una cum sociis eorum, & tunc tota Saxonia subjugata est.* Hactenus author vitæ Caroli M. ex cujus verbis prædicta à nobis de plurimis cum Witikindo baptizatis necnon præsentia Caroli M. satis ni fallimur, firmantur, quam sententiam placuisse itidem video Johanni Peterfen *in Chronico Holsatico part. 1. p. m. 5.* ibi. *Der Keyser ward selbst Bedekindi Gefatter.* Incidit verò baptismus Witikindi non in Annum 700. ut Peterfen d. l. Sed juxta Annales sive gesta Francorum ab anno incarnationis Domini DCCXIII. ad Annum DCCCLXXXIII. incerti & vetusti scriptoris, cujus editionem itidem debemus eminentissimæ eruditionis Viro Pithoeo in Annum Christi DCCLXXXV. Verba Annaliū *p. m. 11.* sequentia sunt. *DCCLXXXV. Vitikint Saxo Attiniaci ad fidem Carli venit, & baptizatus est, & Saxonia tota subacta est.* Cof. Gobelinū in Cosmodromio, aliosq; vetustiores rerum Germanicarum scriptores. Quod si conjecturis iis tamen à vero non abhorrentibus locus, putarim id ipsum eodem anno, solemnè Paschali die festo omnium Christianæ religionis celeberrimo augustissimoque habito, quod præcipuâ quâdam veneratione in memoriam Dominicæ resurrectionis veteres primitivæ Ecclesiæ Christiani semper profecuti fuere, vel sancto Chrysofomo *homil. VII. de resurrectione Domini,* necnon Gregorio Nazianzeno *in sermone de hæc festivitate* testibus, factum fuisse, quæ conjectura mea ni fallor aliquo modo firmatur ex prælaudato antiquissimo scriptore Caroli M. qui cum in præcedentibus exposuisset venisse Vindochindum & Abionem ad Carolum M. & ad villam Attiniacum una cum sociis eorum baptizatum fuisse, statim subjicit celebrasse eodem anno Carolum M. in prædicta villa Natale & Pascha, quod si hæc curioso Lectori nondū satisfecerit conjectura, addo aliam eamq; ni fallor, prægnantior, notissimum quippe est, in primitivâ Ecclesiâ administrandi olim baptismi duo stata, ac solemnè tempora fuisse, Pascha & Pentecosten: extra quæ non nisi ægrotantes, vel infirmi, & qui mortis, ægitudinis, obsidionis, naufragii necessitate periculoque urgebantur, tingi consueverant, præclarè Tertullianus *in lib. de baptismo: Diem, ait, solemniorè baptismo Pascha præstat cum & passio Domini, quâ tingimur, adimpleta est.* B. Ambrosius *in libello de mysteriis Pasche: Hæc est,* inquit, *illa cælestium mysteriorum gratia. Hoc Pasche donum: hæc optabilis anni festivitas: hæc exordia gignentium: hinc vitalis lavacri sacre Ecclesiæ editi puerperio infantes parvulorum simplicitate renati, barathro innocentis perstrepunt innocentia.* Ejusdem observationis Ecclesiasticæ meminit Nicephorus *hist. Ecclesiast. l. 13. cap. 19.* quinimo reliquis omnibus festivitatibus baptismi celebrationem interdicitam fuisse ex Gerundensis Concilii *cap. 4. & Wormaciensis cap. 10.* Burchardus *lib. 4. Decret. cap. 6. & 7.* Yvo Carnutensis *prime partis Decretorum cap. 60.* & Gratianus *in can. de Catechumenis de consecrat. distinct. 4. docent.*

L

In

In Thessalia planè Paschæ duntaxat diebus baptismata fieri consuevit, eoque evenisse, ut plurimi absque baptismo morerentur Socrates *lib. 5. hist. Ecclesiast. cap. 19.* auctor est. Quis vero existimabit Craolum M. Imperatorem ecclesiasticarum Constitutionum alioquin observantissimum, nullâ plane apparente necessitate, nõ exigente vel morbo & adversâ valetudine Witikindi, non motibus bellicis efflagitantibus, tam solemnem piumque actum potius alio quam celeberrimo Paschali die celebrare voluisse? non sane hoc ipsum asseruerim, præsertim cum in omnibus penè orbis Christiani partibus baptismi prærogativam Paschæ & Pentecostes celebritates, specialiter ac proprio jure sibi vindicasse, in Ecclesiæ longâ sæculorum successione morem hunc constanter retentum legerim, adde quod tam augustissimo paschali festo, ad quod magna confluere solebat hominum multitudo. Vid. Socrat. *histor. Eccles. lib. 7. cap. 5.* hic actus magis illustrior fuit. Equidem ne quis dubitet an hic ipse mos tempore Caroli M. ac prædecessorum ejusdem in Ecclesiâ servatus fuerit, provocamus tum ad Gregorium Tironensem, qui *libro 5. histor. cap. 11.* de usu sui temporis testatur, *Conf. eundem lib. 6. cap. 27.* tum præsertim Annonium Monachum, aut ut quibusdam placet Aymonium, qui *lib. 3. de gestis Francorum cap. 49.* de Chilperico verba faciens. Chilperico, ait, filius nascitur, quem sequenti anno Parisiis in Paschali festo baptizari fecit. Otto Frisingensis *lib. 6. histor. cap. 1.* morem generalem appellat. *Conf. Rupertum Tuicensem lib. 4. de divinis officiis cap. 18.*

Porro licet baptisteriorum usus antiquissimus docente adductis testimoniis, Dionysii Areopagitæ *lib. de Eccles. Hier. c. 4.* Ambrosii *Epist. 53.* & S. Augustini *lib. 22. de C. D. cap. 8.* Viro lectionis infinitæ Josepho Vice-Comite in *observat. Ecclesiast. de Antiquis baptismi ritibus ac ceremoniis lib. 1. cap. 4.* attamen non rejiciendam putarim quorundam scriptorum Germanicorû sententiam, Witikindum in flumine aut fonte baptizatum fuisse, hunc enim morem etiam in antiquâ ac primitivâ ecclesiâ obtinuisse novim⁹, pluribusque probavit laudatus Vicecomes *lib. 1. cap. 4.* memoratque Tertullianus *lib. de baptismo cap. 1.* Petrum in Tyberi baptizasse. Walafridus Strabo verò in *lib. de rebus Ecclesiast. cap. 26.* scribit, olim simpliciter in fluviis vel fontibus baptizatos fuisse credentes. Sane de Witikindo in flumine baptizato testatur tum Chronicon Misnicum, tum Crantzius aliique *Conf. Fabrit. Or. Sax. p. 433.* Eadem sententia itidem probata Ernesto Brotuffio in *Chronico Ducum Anhaltinorum cum præfatione Philippi Melanthonis anno 1556. edito pag. 20* cujus verba in gratiam lectorum subjicimus. Darnach ist Witikindus/ inquit, durch S. Bonifacium, Erzbischof/ fen zu Meins im Stiffte Fulda/ im Dorffe Mithenbach/ in einer schönen stießenden Bach/ nach Einhalt der Meisnischen Chronica/ im Jahre Christi 785. getaufft/ und von Keyser Carolo aus der Tauffe gehoben worden. Alb. Crantz.

lib. 2. cap. 23. schreibt/ er solle in selbigem Jahr nach Christi Geburt 785. bey der Weser zu Minden getaufft seyn/ da denn Witikindus alsbald nach seiner Tauffe dem Keyser Carolo sein Schloß Visurgum, das ist Minden auff der Weser/ die Witikindus Burg genant/ gelegen/ die Helffte zu einem Bischofflichen Sitz und Thumbkirchen gegeben/ denn es war Raum gnug da. Hactenus Brotuffus d. l. Sane quæ Paulinus sequentibus elegantissimis versiculis in genere de efficacità baptismi disseruit, ibi

12

*Sanctus in hunc cælo descendit Spiritus a-*  
*mnum*

*Cælestique sacras fonte maritat aquas,*  
*Concipit unda Deum, sanctamque liquoribus*  
*almis*

*Edit ab aeterno semine progeniem.*

*Mira Dei pietas, peccator mergitur un-*  
*dis*

*Mox eadem emergit justificatus aquâ.*

ea merito ad Witikindum nostrum referimus, quem ante Paschalem diem in Christiana religione probe informatum fuisse quis dubitabit? Solebant enim in primitivâ ecclesiâ Catechumenis per totam quadragesimam præcipua fidei Christianæ capita exponi, ut ita lavacro futuro, cujus præstatio in Paschales ferias differebatur, præpararentur, de hac consuetudine testatur B. Hieronymus ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani. *Consuetudo apud nos hujusmodi est, ait, ut iis qui baptizandi sunt per 40. dies publice tradamus sanctam & adorandam trinitatem.* *Conf. Bedam in Comment. Esdra Lib. 2. Nova, ait, vite auditoribus symbolum fidei tradimus, quod per duodecim Apostolos ordinatum est, & totidem sententiis comprehensum.* Sane & alios potioresque Josepho Vice-Comiti supra laudato tractatu observatos ritus & ceremonias baptismales quin & heic adhibitas esse statuam⁹, non est, quod obftet, sane quod renunciationem diaboli ejusque operum, quæ à stantibus versus occidentem protensis manibus, quasi præfenti Satanæ renunciarent, teste Cyrillo Hierosolymitano fiebat, in baptismo semper receptam attinet, eam non alio quam germanico idioma à Viro illustri Romanæ pariter ac Gallicæ linguæ ignaro factam fuisse, tam certum esse putamus, quam quod certissimum, qualis verò renunciationis formula circa baptismum Witikindi adhibita fuerit? eâ de re neque apud veterem neque recentiorum scriptorem me quicquam legisse memini, putarim tamen infra subjectam formulam abrenunciationis diaboli operumque ejus brevemque professionem fidei, veteri lingua Theotiseâ, quæ in vetusto M. S. Palat. bibliothecæ Vaticanæ subjungitur concilio Listinensi An. DCCXLIII. quo nullum antiquitatis Germanicæ monumentū vetustius, annos quinque superat DCCCC. extare, tradit serenissimus ac Germaniæ nostræ Procerum eruditissimus, magnique ingenii ac judicii Princeps Paderbornensis in *appendice*

13

14

dice Monumentorum Paderbornensium pag. m. 336  
adhibitam fuisse, sequitur igitur.

## ABRENUNTIATIO.

**FORSACHESU** diabolae? Et  
resp. Ec forsacho diabolae. End allum diabol  
gelde? Resp. End ec forsacho allum diabol  
gelde. End allum diabol es wercum? R. End  
ec forsacho allum diabol es wercum und wor  
dum; thuna eren de wudden end saxnote; en  
de allem them unholdum/ the hira genotas  
sint.

## PROFESSIO FIDEI.

Gelobistu in Got almehtigan fadaer? Resp.  
Ec gelobo in got almehtigan fadaer. Gelobistu  
in Christ godes suno? Resp. Ec gelobo in Christ  
gotes suno. Gelobistu in halogan gast? Resp.  
Ec gelobo in haligan gast.

Atqui hanc abrenuntiationis formulam pro  
fessionemq; fidei à Witikindo factam fuisse no  
bis eousque per videtur verosimile, donec quis  
piam meliora nos edocuerit.

Cæterum occasione præmissæ abrenuncia  
tionis à Witikindo linguâ Saxonica factæ dubi  
tari posset, an tempore Caroli M. characteres jam  
suos habuerit lingua Saxonica? Sane si tradita  
Gregorii Turonensis Lib. 5. cap. 44. pag. 270.  
ponderentur vero simile videtur, jam tum sub  
Chilperico doctissimo Francorum Rege multis  
retro seculis characteres linguæ suæ agnovisse  
Germaniam, quinimo ipsum Carolum M. Impe  
torem eruditissimum & eloquentissimum teste  
Eginharto cap. 25. de vitâ Caroli M. de quo iti  
dem Poetafter Saxo lib. 5. v. 245.

*Sed solitus linguâ sepe est orare La  
tina!*

*Nec Græca prorsus nescius exstiterat.*

inchoasse Grammaticam patrii sermonis, tra  
dit Idem Eginhartus cap. 29. Eleganter hanc  
rem exposuit Joannes Trithemius in elegantissi  
mo Polygraphie Codice, qui. *M. Stus* propriâ Tri  
themii manu Anno 1508. exaratus & Imp. Ma  
ximiliano I. oblatu in augustissimâ Bibliothecâ  
Cæsareâ Vindobonensi extat, in quo de Gramma  
ticâ Theotiscâ Imper. Caroli Magni ab Otfrido  
absolutâ & auctâ agens, sequentia lectu sane di  
gna posteritati reliquit. *Carolus Rex Magnus,*  
inquit, *natione Theotisco, gentis suæ mi  
sertus barbariem, Annone, Theobaldo &  
Berengero præceptoribus, sicuti OTFRI  
DVS & Turpinus fecerunt, cum esset Vir  
animo cælestis, & literarum tam Græcarum  
quam Latinarum longè doctissimus, lin  
guam tentavit regulare Theotonicam, men  
sibus & ventis, quæ hodie apud nos reti  
nent, nomina dedit, & præcepta Gramma  
tices linguæ Theotonice pulcra composuit.*  
*Sed illo mortuo res imperfecta remansit, us  
que adeo ab hominum notitiâ hodie jacens  
abscondita, ut satis admirari nequeam. Ni  
sienim fuisset unus ille Monachus Wissenbur  
gensis quondam OTFRIDVS, nulla hujus*

facti memoria haberetur. Is enim sub Lu  
dovico Pio, ipsius Caroli filio Grammatica,  
quæ inchoaverat ille affecutus, multa scri  
psit in linguâ Theotonicâ noviter in parte  
regulatâ metro heroico elegiacoque simul  
& prosâ tam ad ipsum Ludovicum Impera  
torem & alios, quàm ad Moguntinum Ar  
chi-Episcopum Otgarium. Hæc Trithemius  
d. l. ubi cum Lambecio in Comment. de Biblioth.  
Cæsar. lib. 2. cap. 5. monendum Otfridum scri  
psisse ad Ludovicum Franciæ orientalis Regem  
Imper. Ludovici Pii filium, neq; ad Otgarium  
quintum Archi-Episcopum Moguntinum sed  
Liutbertum octavum Præsulem Moguntinum.  
Dignus quoque ut heic legatur ejusdem hæc de  
re locus ex capite 3. depromptus tum ad illustra  
tionem translationis Saxonum à Carolo M. factæ,  
de quâ supra c. 9. n. 19. & seqq. diximus, spectans,  
tum præfertim quoad nomen & originem West  
phalorum insignis ac notabilis. Memoratus Vir  
doctissimus Otfridus, inquit, in suâ Gram  
maticâ Arte linguæ nostræ Theotonice,  
quam, sicut diximus, ex Caroli Regis Ma  
gni institutionibus collegerat, & alios  
characteres quosdam interseruit, quibus  
ipsum in arcanis usum fuisse dicit. Ex qui  
bus & nos subjectum pro nobis Alphabetum  
assumpsimus. Datum fuit hoc ipsum Al  
phabetum hominibus illis, quos Carolus in  
locum triginta millium ex Saxonia trans  
rulerat in Galliam, postea videlicet quam  
annos triginta pugnans contra Saxones, i  
psos gladio tandem Christi convertit ad fidem.  
Veritus enim, ne denuo descicerent, sicuti  
frequenter antea fecerant, eorum triginta  
millia trans Rhenum locavit in Galliam cum  
filiis & uxoribus, quos ferociores animis  
fuerat expertus. In quorum locum ex  
Gallis triginta millia similiter in Saxoni  
am transtulit, quos ad aliorum differen  
tiam VVest-Gallos, vulgariter autem VVest  
VValen nuncupavit; qui hodie corrupto,  
vocabulo, sed mendosè VVestphali vocan  
tur. His quosdam præposuit Duces non  
exercitus, sed morum, quibus commisit,  
quatenus per totam Saxoniam, quæ tunc  
erat amplissima manifestè discurrerent, &  
occultè, & quoscunqu reperissent contra  
fidem & mores enormiter deliquisse Chri  
stianos, mox sine judiciorum strepitu laqueo  
necarent; ipsi autem ab omni hominum  
impetitione permanerent immunes. Hæc  
Trithemius laudato loco. Cæterim de lingua  
antiquâ Saxonica lectu haud injucunda extant  
apud Wolfgangum Lazium lib. 3. de migrati gen  
tium Bonaventuram Vulcanium in lib. de Literis  
& linguâ Getharum sive Gothorum, Paulum Me  
rulam in Notis ad VVillerami Abbatis Mersbur  
gensis

18

19

gensis antiquam Theotiscam Paraphrasin in Canticum canticorum, Christophorum Brovverum in dissertatione de veteri Trevirorum lingua, Martinum Opitium in Animadversionibus ad incerti Poëte Theotiscum Poëma rhythmicum de S. Annone Archi-Episcopo Colonienfi & Justum Schottelium in præclaro opere germanico de lingua Germanicâ quo lectores remittimus, redeuntes ad reliquos ritus circa baptismum Witikindi observatos. Equidem & ipsum Witikindum cum Albione aliisque proceribus gentis Westphalicæ ad baptismi locum splendidis albisque vestimentis ornatos advenisse verosimile videtur, moris enim passim recepti in Ecclesiâ tum temporis erat, ut vestimentis candidis induti Baptizandi procederent, testibus B. Ambrosio lib. singulari de his, qui mysteriis iniantur, Gregorio Turonensi lib. 5. c. 11. ibi. *Flagrabant cerei lampades: albicabat tota civitas de grege candido*, Nicephoro lib. 7. histor. Eccl. cap. 33. Conf. Paulum Diaconum lib. 7. histor. Longobard. cap. 15. de Codrate Rege Anglo-Saxonum. *Is, ait, cum Romam pervenisset à Sergio Papa baptizatus, Petrusque appellatus, & adhuc in albis constitutus ad regna cœlestia migravit.*

Cæterum quod impositionem nominis, quæ in Ecclesiâ Christianæ primordiis, cum baptismi ceremoniæ simul omnes eodem die fiebant, nonnisi in ipsâ ablutione, postmodum ad maturitatem suam perveniente Ecclesiâ inter certum præfinitum tempus. Vid. Augustin. lib. 9. Confess. fieri solebat, attinet, in præcedentibus observavimus, recentiores scriptores in eâ opinione esse, Witikindum id nomen, cum prisco nomine Ludgerus appellaretur in baptismo accepisse Vid. Gryphiand. de *VVeibbild. Saxon. cap. 27. n. 17.* *ast* cum eâ de re altum sit apud vetustiores rerum Germanicarum Scriptores silentium, calculum huic sententiæ adjicere non possumus, & verò quem præterit, Witikindo jam ante baptismum nomen hocce ab antiquissimis quibusque historicis, iisque quos ego legerim, omnibus uno ore tributum fuisse. Sane quamvis infantibus baptizandis novum indebatur nomen, quia antea nullo vocabantur, adultis tamen vel mutare vel etiam retinere fas fuisse novimus, neque est, ut hoc ipsum pluribus firmemus testimoniis, cum jam antea id pluribus factum sit à laudato Josepho Vice-Comite d. tractat. lib. 2. cap. 13.

## CAPUT XV.

DE REBUS PRÆCLARE GESTIS  
VVITIKINDI POST SUSCEPTA SACRA  
CHRISTIANA.

## SVMARIA.

1. VVitikindi conversio ad sacra Christiana & pacem Saxonix peperit, & ad propagandam Christianam religionem maxima incrementa dedit. 2. quod adductis testimoniis scriptorum Germanicorum probatur. 3. De numero Episcopatum à Carolo M. in Saxonia constitutorum discrepantes Germanicorum hystoricorum sententiæ adducuntur. 4. Notatus error Joh. Gryphiandri existimantis ne unum quidem Episcopatum à Carolo M. in Saxoniam constitutum esse, 5. Mindæ castrum VVitikindi fuit. 6. Templum Mindense plurimis donariis à Witikindo ornatum. 7. Pagus Angariæ à Carolo M. VVitikindo post suscepta sacra Christiana restitutus fuit. 8. Encomia VVitikindo à scriptoribus tributa. 9. An Dux totius VWestphaliæ constitutus fuerit? 10. VVitikindus multis donis ditavit Ecclesias præsertim Osnabrugensem & Mindensem, fundavitque Collegium in Engern 11. VVitikindus ultimis temporibus vivo adhuc Imperatore Carolo M. in

con.

conflictu cum Geroldo Duce commisso occubuit. 12. Ad-  
ducta eâ de re verba Crantzii & Fabricii. 13. Quo anno Wi-  
tikindus fato functus? 14. Carolus M. in numerum sancto-  
rum relatus. 15. Laudata ea de re verba Diplomatis Fride-  
rici I. quo Caroli Magni privilegium Ecclesiæ & Urbi Aquis-  
granensi concessum confirmatum.

**W**itikindi conversio ad sacra Chri-  
stiana & pacem Saxoniam peperit, &  
ad propagandam Christianam re-  
ligionem maxima incrementa de-  
dit. De priori Auctor, *Compilat. Chronol.* à Ma-  
derno editus. *VWedekindus Dux Saxonum bap-  
tatur VVormacie* (hanc sententiam supra cap.  
12. rejecimus.) à Karolo patrino cum omnibus suis  
& sic pax fit in terra. necnon Auctor *vita Caroli*  
à Pithoeo editus ibi. *Tunc tota Saxoniam subju-  
gata est, quievitque illa Saxonica perfidia per vica-  
citas per annos aliquot*, octo scilicet. Conf. Poë-  
tam Anonymum ibi.

*Hic iidem proceres sacri Baptismatis  
unda*

*Perfusi, tandem Regi mansere fideles  
Ipsaque gens aliquot requieverat inde  
per annos.*

De posteriori, propagatione Christianismi, præ-  
laudatus Auctor *Compilat. Chronolog.* *Tunc Sa-  
xones*, ait, *Francis adunati efficiuntur populus u-  
nus & divisa, est Saxoniam in octo Episcopatus*, idem  
tradit Adamus Bremensis, quem more suo se-  
quitur Albertus Stadenfis, de eodem numero E-  
piscopatum à Carolo M. in Saxoniam constituto-  
rum testantur Helmoldus, Ditmarus, & ex recen-  
tioribus Lupoldus à Babenbenberg *de Zelo Ve-  
terum Principum, Germania in religione cap. 9.*  
& Paulus Langius *in præfat. Chronici Citizenfis*  
aliis tamen septenarium cum Gobelino *Atat.*  
*6. cap. 38.* ejusque ex scriptore Crantzio *lib. 2.*  
*Saxon. cap. 23.* enumerantibus, quibus nonum  
adjecit Petrus Beck. *in Aquisgrano cap. 5.* dena-  
rium alii, secuti Wernerum Rolvinckium de  
*Laudibus VVestphalie lib. 2. cap. 8.* quem nume-  
rum quoque præter Chronicon Mindense à Mei-  
bomio editum exhibent duo, quæ possideo, chron.  
MStâ Mindensia hæcenus inedita. Parum ve-  
rò versatus videtur in perlectione diplomatum  
Caroli M. de fundatione Episcopatum Saxoniam  
Joh. Gryphander *præclaro alioquin opere de  
VViehbildis Saxonis cap. 29.* cum verosimi-  
le sibi videri asserit, à Carolo M. ne unum qui-  
dem Episcopatum in Saxoniam constitutum fuisse,  
quæ sententia & nova & singularis omnibus  
melioribus istius ævi monumentis & diploma-  
tibus repugnat. Sane ipse Witikindus ad me-  
liorem mentem per novum Christianismum  
conversus nil quicquam omisit, quod ad propa-  
gationem Christianismi spectare videbatur, hinc  
ipse Witikindus, si fides habenda non paucis  
scriptoribus Germanicis, permisit Carolo Ma-  
gno ut in arce suâ Mindâ ad Visurgim Episcopo

locum daret, amborum enim capacem esse, hinc-  
que derivandam Urbis Mindensis à Min & Din  
etymologiam in præcedentibus monuimus. Cran-  
tzius *lib. 2. Saxon.* 16. Porro erectâ Episcopali  
sede in civitate Mindensi in eo loco, ubi testan-  
te Chronico à Meibomio edito prius fuit castrum  
VWedekindi Regis Angarorum, VVitikindum  
plurimis templum Anno Redemptoris unicii Jesu  
Christi DCCLXXX. in urbe extructum ornasse  
donariis, sub Engelberto Episcopo cum tem-  
plo incendio ab sumptis tradit Auctor incertus  
chronici Mindensi ibi.

*Quicquid Cesar pro ornatu  
Et Rex VWedekind pro affatu  
Spiritus donaverat:*

*Hoc in totum ex affatu  
Diri ignis & cum flatu  
Horrido perierat.*

*Sed hoc statim Engelbertus  
Præsul prudens & disertus  
Sicuti optaverat,*

*Reformavit:*

Hic verò erga Christiana sacra cultus VVitikin-  
di insignis, hæc in servandâ Carolo M. fide con-  
stantia, movit Augustissimum Imperatorem, ut  
Pagum Angariæ jure belli Witikindo ademtum  
eidem restitueret. Recentiores Scriptores VVi-  
tikindum ad obsequium fidele redactum, & Re-  
gio quidem titulo excutum, Ducali autem ite-  
rum exornatum in Saxoniam constituisse ipsique  
Saxoniam administrandam constituisse, tradunt,  
hinc Witikindus magnus Dux Saxoniam Alb. Abb.  
Stad. *ad Ann. 920.* Princeps Imperii, Andr.  
VVitich. *in Geneal. Duc. Saxon. p. 1.* robustus  
gigas. Rolevinck. *lib. 2. de Laud VVestphal.*  
dicitur, aliisque titulis à Fabricio Reineccio a-  
liisque ornatur, quinimo alii Ducem totius  
Westphalie constitutum fuisse, eidemque tra-  
ctum Magdeburgicum nec non Wittebergen-  
sem, ac Wethinensem ad Salam concessum fu-  
isse memorant. Sane Witikindus postquam  
Christo nomen dederat, quod reliquum erat,  
Christiano more transegit, variisque pietatis  
operibus ad fidem in posteros propagandam se  
commendavit, non tamen illustrior, quam ex  
prælaudata dotatione Episcopatus Mindensis.  
Lubet heic audire Wernerum Rolevinckium *de  
laud. VVestphal. lib. 2. cap. 7. pag. 39.* *Multis do-  
nis ditavit Ecclesias, præsertim Osnabrugensem &  
Mindensem, Collegium in Engeren fundavit, ubi  
olim erat principale castrum totius Westphalia.*

Porro VVitikindum ultimis temporibus

M

vivo

vivo adhuc Imperatore Carolo Magno, in conflictu cum Geroldo Suevorum Duce occubuisse tradit Krantzius, quo vetustiore ad confirmationem hujus rei, nunc non adducere possum. Is igitur Saxon. lib. 11. cap. 25. *Wedekindus*, inquit, cum Rex illum Carolus baptizatum in suâ provinciâ gubernare permetteret adificato in Anglaria (nunc Angriam vocant) insigni templo, instituto Collegio sine fine Deo servientium, (quod nunc in Hervordiam ferunt esse translatum, ibique Dominabus imperitantibus servit) plurimum ipse in CHRISTO devotus religione profecit. Sed erat illi ex magnis causis cum Geroldo Suevorum Duce atrox bellum, quod variâ diu fortunâ protrahabatur. Mirum quomodo tam longinquum: ex Suevia in Saxoniam. Sed erant Saxonibus prædia (quod supra ostendimus) in Hercynia, & Suevis in Thuringia: unde facile potuit constari de terminis bellum. Sed eo consumtus perit *Wedekindus* Christiano ritu sepultus in Ecclesia ejus, quod fundaverat Collegii: ibique aliquamdiu quievit, donec in Paderbrunnam à filiis transferretur; Idem memorat Gregorius Fabricius lib. 4. *Originum Saxoniarum*. In extremâ senectute, inquit, bellum gessit, nescio, quacausa excitus, cum Nothardo Duce Suevorum: quod prælium cum durasset satis diu, fatigatus gravitate armorum, & contentione pugnae oppetuit: & in templo à se structo sepultus fuit, quod cum Henricus I. Imp. destrueret, & Vallerleben non procul à Brema transferet, etiam cineres ejus loco moti sunt, & Paderborne repositi, in qua urbe Divi honore cultus est. Hæc Fabricius d. l. Cæterum si *Vitikingo* vivo adhuc Carolo Magno in conflictu cum Geroldo Suevorum Duce Anno DCCCVII. juxta *Vittium* & *Cleinsorgiû* fato functo, ejusmodi post obitum cultus exhibitus fuit, sane non mirum est majorem Carolo Magno, qui paulò post Anno DCCCXIV. V. Kal. Februarii relicto in regno Francorum ac dignitate Imperatoriâ Successore Ludovico à morum probitate, & in clericorum ordinem singulari benevolentia ac libertate *Pii* nomine ornato, decessit *Aquisgrani*, à posteris delatum fuisse, quinimo constat eundem curâ & studio Imp. Friderici I. cognomine *Ænobardi* sive *Barborossæ*, qui corpus ipsius singulari revelatione manifestatum *Aquisgrani* solenniter elevavit, ab Antipapa *Guidone Cremensi* sive *Paschale III.* in numerum Sanctorum relatum esse. Quam canonizationem Papæ *Alexander III.* postquam anno MCLXXVII. cum jam memorato Imper. Friderico rediit in gratiam, approbavit & confirmavit. Extat etiam nunc ipsius Imp. Friderici I. de hâc Caroli Magni elevatione & relatione in numerum Sanctorum insigne testimonium in eo Diplomate, quo Anno MCLXVI. sexto Idus Januarii Privilegium, à Carolo Magno Ecclesiæ & Urbi *Aquisgranensi* concessum, confirmavit, quod integrum extat in *Petri Bekæ Aquisgrano* & *Auberti Miræi Fastis Belgicis*, non possum, quin in gratiam Lectorum vel principum tantum Diplomatis prælaudati ad rem præsentem pertinens subjiciam, ibi. In no-

mine sanctæ & individua Trinitatis; *Fridericus*, divinâ favente clementiâ, Romanorum Imperator semper Augustus. Ex quo primitus divinâ ordinante clementiâ, Imperii Romani fastigia gubernanda suscepimus, voluntatis nostræ atque propositi summum desiderium fuit, ut Reges & Imperatores, qui nos præcesserunt præcipuè maximum & gloriosum Imperatorem Carolum, quasi formulam vivendi atque subditos regendi sequeremur, & sequendo præ oculis semper haberemus; ad cujus imitationem jus Ecclesiarum, statum Reipublicæ incolumem & legum integritatem per totum Imperium nostrum servaremus. Ipse enim totâ cordis intentione ad æternæ vitæ præmia anhelans, ad dilatandam gloriam Christiani nominis & cultum divinæ Religionis propagandum, quot Episcopatus constituerit, quot Abbantias, quot Ecclesias à fundamento erexerit, quantis prædiis ac beneficiis illas ditaverit, quantarum largitate eleemosinarum non solum in cismarinis partibus resplenduerit ipsa ejus opera & gestorum volumina, quæ plurima & maxima sunt, fide oculatâ plenius declarant. In fide quoque Christi dilatandâ, & in conversione gentis barbaricæ fortis Athleta fuit, & verus Apostolus, sicut Saxoniam & Fresoniam atque Westphalia, Hispani quoque testantur, & Wandalis, quos ad fidem Catholicam verbo convertit & gladio. Licet etiam ipsius animam non pertransierit gladius, diversarum tamen passionum tribulatio & periculosa certamina, & voluntas moriendi quotidiana pro convertendis incredulis, eum Martyrem fecit. Nunc verò electum & sanctissimum Confessorem eum fatemur & veneramur in terris, quem in sanctâ conversatione vixisse & primâ confessione & verâ pœnitentiâ ad Deum migrasse, & inter sanctos Confessores, sanctum & verum Confessorem credimus coronatum in cœlis. Inde est quod nos gloriosis factis & meritis sanctissimi Imperatoris Caroli confidenter animati & sedulâ petitione carissimi amici nostri *Henrici Regis Angliæ* (is est, *Henricus* ejus nominis secundus, sub quo sanctus *Thomas Cantuariensis Episcopus* occisus est) inducti, assensu & autoritate Domini *Paschalis* & ex consilio universorum Principum, tam secularium, quàm Ecclesiasticorum, pro elevatione & exaltatione sanctissimi Corporis ejus atque canonizatione, solemnem curiam

riam in natale Domini apud Aquisgranum celebravimus; ubi corpus ejus sanctissimum, præ timore hostis exteri vel inimici familiaris, cautè reconditum, sed divinâ revelatione manifestatum, ad laudem & gloriam nominis Christi, & corroboracionem Romani Imperii & salutem dilectæ Consortis nostræ Beatricis Imperatricis, & filiorum nostrorum Friderici & Henrici, cum magnâ frequentia Principum & copiosâ multitudine Cleri & Populi, in hymnis & canticis spiritualibus cum timore & reverentiâ elevavimus & exaltavimus IV. Kal. Januarii. His autem omnibus gloriosè peractis, cum in prædicto loco cujus ipse fun-

dator extiterat, de ipsius loci liberalitate, institutis legum & pacis atque justitiæ, quibus totum orbem rexerat, diligenter inquireremus, ecce Fratres ejusdem Ecclesiæ Privilegium S. Caroli de fundatione & dedicatione ipsius nobilissimæ Ecclesiæ, & de institutionibus legum humanarum, & civilis juris ejusdem Civitatis, nobis in medium protulerunt, quod ne vetustas aboleret, vel ne per oblivionem deperiret, nostrâ Imperiali authoritate renovavimus. Ejusdem verò Privilegii tenor & institutio talis est: Ego Carolus &c. Hucusque prior illa pars Diplomatis Imp. Friderici I. in quo elevationis & canonizationis Caroli Magni fit mentio.

## CAPUT XVI.

## IN QVO RELIQUA AD ILLUSTRATIONEM VITÆ VVITIKINDI SPECTANTIA EXHIBENTVR.

## SUMMARIA.

1. Witikindus incidit in tempora Annalibus scribendis iniqua. 2. An circa historiam vitæ VVitikindi recentiorum scriptorum testimoniis fides habenda? 3. Locus cladis Saxonum post octo annorum quietem rebellantium notatus. 4. VVitikindus ab omnibus ejusmodi turbis & novis motibus belli excusatur. 5. An VVitikindi filii honorum & possessionum paternarum heredes fuerint? 6. Adducta hæc de re sententia Crantzii 7. eaque rejecta. 8. Laudata conjectura Sagittarii. 9. An Episcopis à Carolo M. cum sacrorum curâ etiam Republicæ administratio commissa? 10. An Bruno Archi-Epi- scopus Coloniensis primò omnium jurisdictionem in secularibus obtinuerit? 11. Quomodo Ducum dignitas & potentia aucta ac demum hereditaria facta fuerit? 12. Ex Adelingis hoc est Nobilibus Saxonis à Carolo M. Comites constituti. 13. Probatum hoc ipsum ex Diplomate Caroli M. 14. Ex ipso Crantzio evincitur VVigbertum fuisse Ducem Angriæ. 15. Episcoporum Germanicorum officium tempore Caroli M. quale fuerit? 16. Laudata hæc de re verba Caroli M. ex Diplomate quodam.

**W**itikindum incidisse in tempora Annalibus scribendis iniqua vel ex eo nemini non constare putamus, quod non modo apud scriptores

coetaneos, sed & eos, qui aliquot post sæculis Carolina tempora attigerunt levis Witikindi nec non rerum præclarè ab eodem gestarum quasi in transcurso facta mentio, recentioribus verò

ro hystoricis non usquequaque fides tribuenda sit. Quæ cum ita sint, præter capite præcedenti adducta nihil notatu dignum de gestis Witikindi post suscepta sacra Christiana apud vetustiores scriptores, nec enim nunc tangenda, quæ inter recentiores Spangenbergius, Fabricius, Erpoldus Lindenbrogius, alique non laudatis fontibus, unde hauserunt, posteritati reliquerunt, occurrit, quamvis enim post octo annorum quietem Saxones Anno Christi 793, Hunnicam militiam detrectantes, interfecto etiam Caroli in Daniam legato rebellant, testibus Annalibus Fuldensibus in Sinitfeldt, sive ut Poëta Anonym. Sinothfeldt, quem campum Diploma Ottonis III. Imp. Soretfeldt & Sorethfeld nuncupavit, devicti fuerint, quamvis itidem in sequenti anno ob interfectum infidiis Saxonum Wilzan (Wislaum appellat Latomus in *MS-Chronico Mechlenburgensi*;) Abotritorum Regem, qui ad Carolum iter habebat, novi motus bellici exorti, ab omnibus tamen turbis Witikindum purgant Crantzius & Fabricius, quinimo veteres Vitikindum per hæc tempora in fide Caroli Magni permansisse negare non possunt, quod ipsum non parum magni Principis (qui si facundos & diligentes rerum gestarum conditores nactus fuisset, nullo maximorum Ducum & Imperatorum minor habendus esset) gloriam & famam apud posteros auxit, accedentibus insuper præter fortitudinem, indefessum libertatis Saxonice propugnandæ studium, perservantiam in laboribus, necnon animum infractum in adversis, reliquis laudibus, quæ summam fortunam vel mereri vel ornare possunt, hinc ex merito tum à veteribus cum recentioribus scriptoribus tot egregiis titulis & elogiis Vitikindus ornatus legitur.

Cæterum dispiciendum heic an Vitikindi filii honorum & possessionum paternarum heredes fuerint? Dubitat Crantzius *lib. 2. Saxon. cap. 25.* motus silentio Scriptorum, qui eam ætate de rebus Saxonice paucissima tetigerunt. *VVigbertus VVedekindi filius*, inquit Crantzius: *d. l. erat ab adolescentia Christo devotus, inter Saxones Vir primarius: sed an Principatum in gentem egerit, mirum est silentium: quod Saxones eam tempestate, regnante post patrem Pio Ludovico Imperatore, sub CHRISTI religione mansuesacti, quiescerent, & omnis provincia Episcopis dispertita religioni serviret.* Quam Crantzii de Episcoporum regimine sententiam semper suspectam mihi fuisse ingenue fateor, non præterit quidem me, Ducum dignitatem ab initio prout alibi in disquisitione de variis potestatibus ostensum. Conf. Vadian. *de Colleg. & Monast. Germ.* apud Lehmannum *Chronic. Spirens. lib. 2.* hereditariam non fuisse, interim per est verosimile filios Witikindi, cujus fama maxima, post conversionem verò fides & merita luculenta fuerunt, vestigia tanti Patris prementes, eadem dignitate auctos fuisse, donec successio sub ipsâ adhuc Carolingicâ familiâ in propria ruente viscera, magis verò sub

sub ipsis Imperatoribus Saxonice invaluerit. Sagittarius in *Historiâ Antiquissimæ Urbis Bardevvici cap. 3.* putat ad exemplum Boioariæ, ubi ex Adelolfingica familiâ, Francorum permisso, Duces assumti, idem privilegium Vitikindeæ familiæ in parte inferioris Saxonice ab ipso Carolo datum esse, quam quidem conjecturam in medio relinquo, certus interim, post devictos à Carolo Saxones, Francorum & postea Germanice Reges, quiq; primo horum vice cum imperio fuerunt, procedente tempore verò auctoritate propriâ imperarunt in Saxonia, non defuisse in civilibus suo jure uti, nec Episcopis à Carolo cum sacrorum cura etiam Reipublicæ administrationem commissam esse, quinimo Auctor Chronici Belgici de Brunone Archi-Episcopo Coloniensi fratre Ottonis Magni tanquam insolitum quid observat, eundem primo omnium jurisdictionem in secularibus obtinuisse. *Ante hæc sua* (Brunonis scilicet) *tempora Archi-Episcopi Colonienses non iudiciis gladii temporalis, sed tantummodo jurisdictione usi fuerunt baculi pastoralis.* Vitikindus Monachus Corbeiensis *lib. 1.* eandem rem ut insolitam exponens, Samuelis exemplo, qui Sacerdos juxta ac judex erat, excusat. In *Chron. Erfurt.* leguntur eam de re sequentia. *Da begunten zu erst die Bischöffe weltliche Rechte zu haben.* Cæterum sive ad Ottonis, sive cum quibusdam ad Ludovici Pii tempora hanc Episcopis in temporalibus concessam potestatem retuleris, mansisse tamen nihilominus, Comitibus & Ducibus suam dignitatem nemo in rebus & monumentis germanicis versatus negabit, aucta verò adeo tractu temporis ista dignitas ac potentia fuit, ut teste Sigeberto sub Conrado Rege de provinciis proprio jure sibi attribuendis cogitarint. Habebat verò Germania circa ista tempora quinque præprimis Ducatus, Bojaricum, Svevicum, Francicum, Lotharingicum, & Saxonicum, sane quod Carolum Magnum attinet, eundem Comites plurimos in Germaniâ ordinasse, nemini non notissimum est, ex Adelingis verò hoc est nobilibus Saxonice, quos Beda Satrapas, Annales Francici Primores, Gobelius Principes, ipse Carolus M. in Diplomate quodam Potentes Regionis vocat, itidem Comites à Carolo Magno assumptos fuisse, nemo nisi horum temporum ignarus negabit, plurimisque exemplis heic comprobari posset, nisi jam antea absolutâ cum laude id ipsum fecisset Vir de rebus Germanicis præclare meritis Henricus Meibomius in *Vindiciis Billingianis*, quod spectant verba Diplomatis Carolini Anno DCCLXXXVII. in villa Trutmanni, quam Gobelius *etat. 6. cap. 48.* Trotmundam, Continuator Reginonis *ad Annum 953.* vicum Droomanni, Ditmarus vicum Trotmuni vocat, dati, & à me *inter opuscula var. Politico-Juridico-Historica notis historicis illustrati*, in quo Trutmannus Comes in Westphalia ordinatur. Cæterum ut ad Witikindi filios & posteros redeamus, ipse Crantzius negare non potuit, gessisse Wigbertum Principatum, quippe cap. seq. disertè eundem Ducem Angriæ vocans. Sane cum tractu



tractu temporis Ducum Saxonie potentia indies accrescet, Comitea aut sponte se Ducibus submiserunt, quin imo posterioribus temporibus primogenito ducalem potestatem & prerogativam cessisse, cæterosque liberos Comitum titulo dignitateque contentos vixisse certum, a libique à me pluribus ostensum fuit. Hinc non malè in veteri Chronico Saxonico scriptum legimus: *Do wasi dat ene Wise/de oldeste Broder bleff en Hertog / de jungste en Grave.* Equidem Episcopis non secularium negotiorum curam, non gladii terreni iura, sed gentium conversionem, rudiorum institutionem, & indefesum scrutandi scripturas studiū à Carolo M. commendata fuisse, præter alia vel ex Diplomate Caroli M. de furdatione Episcopatus Verdensis constare poterit, ex quo sequentia huc spectantia exhibemus. Ibi. *Vt autem confirmationis sententia, oblationisque donatio rata & insonvulsa, & omni ævo intransibilis permaneat, ex præcepto summi Pontificis, & universalis Pape Adriani, necnon Mogunciensis Archi-Episcopi Lullonis, & omnium, qui inibi aderant, Sanctorum Pontificum & Catholicorum sacerdotum, & Alequini in-*

*signis prædicatoris, rationis consilio, supra memoratum sanctæ DEI genitricis Ecclesiam, cum omnibus appendiciis, & donativis, Svitberto sanctæ conversationis viro, & immortalis memoria, coram Deo & apud homines commissimus. Quem quidem in agro DEI laborantem, primum eidem Ecclesie bonum militem IHESU CHRISTI præfecimus, ut populo adhuc rudi, verbi DEI semina messem deinceps latura, secundam dispensatam sibi sapientiam, tanquam fidelis servus & prudens, in domo DEI administraret, & canonicâ ordinacione & competenti, & ecclesiastica institutione, ecclesiam sibi delegatam tam novellam plantaret atque rigaret, donec orationibus servorum suorum interpellatas omnipotens Deus incrementum daret. Hactenus verba Diplomatis Carolini dati Moguncie III. Kalend. Julii, Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXVI. Indictione XII. anno autem regni Domini Karoli XIII.*

## CAPUT XVII. ET ULTIMUM.

### DE OBITU, MONUMENTOQUE VVITIKINDI IN VICO ANGARIENSI COMITATUS RAVENSBERGICI.

#### SVMMARIA.

1. In viris ingentibus post ortum finem quoque ac obitum merito consideramus.
2. Quo anno Witikindus fato functus?
3. Witikindus occubuit in prælio cum Geroldo sive Nothardo Svevorum Duce commisso.
4. Annus natalis VVitikindi ignoratur.
5. VVitikindus an ad minimum sexagenario major rebus humanis exemptus fuerit?
6. Locus sepulturæ magni VVitikindi.
7. An Imperator Henricus Auceps corpus VVitikindi cum tumbâ Paderbornam transtulerit?
9. Carolus IV. Anno 1377. cum Augustâ conjugè ad inspiciendum Witikindi antiqui operis sepulchrum profectus.
10. Idem gloriosissimus Imperator tumbam vetustate nonnihil deformatam renovari mandavit, additis insignibus, nempe Leone flavo cum caudâ bifurcatâ in puniceo campo.
11. Descriptio monumenti VVitikindi laudatis Reineccii verbis exhibetur
12. Epithaphium VVitikindi, quod margines sepulcri

N

conti-

continent, adducitur. 13. Religio & cultus superioribus ac recentioribus temporibus VVitikindi monumento habitus, exhibetur 14. Encomium VVitikindi cum operis Epilogo.

**E** Vecti hætenus per omnem vitam VVitikindi sumus: non ut in minutissimis occuparemur; sed ne quid transiremus ejus, quod relatione dignum præcipue esset. Suprema restant: quæ ipsa quoque juvabit exponere. Sicut fluminum non capita tantum decursusque, sed exitus quoque inquirimus; ita in Viris ingentibus post ortum, & quæ cum eo connexa hærent, finem quoque ac obitum merito consideramus. Occubuisse magnum heroem nostrum, & cælestem animam cælo reddidisse Anno vigesimo secundo, postquam sacro baptismi lavacro ablutus fuit in prælio cum Geroldo sive, ut Fabricius *Orig. Saxon. lib. 4. p. 439. & 440.* Nothardo Svevorum Duce commisso, tradit Crantzius *lib. 2. Saxon. c. 24.* quorum verba supra cap. 15. adduximus, juxta supputationem, Lezneri, Reineccii, ac Eliæ Reufneri in *Oper. Genealog. in Stirp. VVitikind. A. C. 807.* vel ut aliis placuit Anno 805. aut denique juxta Wittium & Cleinsorgium Anno 812. Quod si juxta effatum sacratissimi Imperatoris Justiniani, hi qui ita ceciderunt, in æternum vivere per gloriam intelliguntur. Vivit sane etiamnum magnus VVitikindus, quam vitam illi nec casus ullus, nec ulla calamitas adimet, & sola convertet æternitas. Quod ætatem Magni VVitikindi nostri attinet, quanquam eâ de re merito dubitari queat, quum annus natalis ignoretur, atque iccirco annorum ætatis ratio exacta iniri nequeat? tamen si conjecturis locus, verisimile videtur VVitikindum Ducem belli contra Carolum Magnum gerendi electum non minorem 25. aut 30. annis fuisse, quod res ipsius tantâ prudentiâ præclare gestæ satis arguunt. Quum vero bellum istud Saxonicum Duce VVitikindo contra Carolum Magnum satis diuturnum, ac teste Eginharto per 33. annos gestum, ac bello composito & ad Christianam religionem VVitikindo converso, eundem per plurimos annos etiamnum superstitem fuisse rerum Germanicarum scriptores attestentur, adde quod Fabricius laudato loco tradat VVitikindum præadductum bellum in extremâ senectute gessisse, utique ad minimum VVitikindus sexagenario major rebus humanis exemptus fuit. Non contemnendum ætatis spatium; ni multo amplius sibi aperuisset magni Principis & fortissimi herois gloria; cui nec meta posita est & finis haud alius erit, nisi qui virtuti & præclaris actionibus.

Ad locum sepulturæ magni VVitikindi, ut progrediamur, sepultum Angriæ basilicâ à semet extructa VVitikindum fuisse constat, cujus effigiem, ut ibidem est, affabrè designatam in monumento Paderbornensibus pag. 146. heic ut curioso Lectori satisfiat, exhibemus, cum inscri-

ptione sepulcri discrepante paululum ab antiqua illâ adductâ VVitio & Cleinsorgio.

Cæterum Imperatorem Henricum Aucupem corpus VVitikindi cum tumbâ Paderbornam transtulisse, tradunt Crantzius, Bernardus VVititius, alii. Extruxit VVitikindus, inquit hæc de re Petrus Cutsemius SS. Theolog. *D. in Saxoniâ Catholicâ p. 22.* Angriæ Basilicam, in quâ sepultus, sed inde ab Henrico Romanorum Rege Paderbornam translatus, lætam ibi cum universis Christi fidelibus sui resuscitationem expectat. Reliquit duos post se filios VVigbertum & VVitikindum II. fecundissimos stemmatis sui propagatores. Hætenus Cutsemius d. l. Rectius in laudatis Monumentis Paderbornensibus traditum Angariensi Collegio auctoritate Pontificiâ Anno 1414. 16. Januarii inde translato & Hervordiam migrante cineres VVitikindi cistæ lignæ parum reverenter inclusos, unâ cum aliis quibusdam cimeliis ex Angario asportatos.

Equidem gloriosissimus Imperator Carolus quartus cum anno 1377. sub finem Anni cum Augustâ conjugè VWestphaliam lustrans Mindam 15. Novembris ingressus, ibique hospitium sumens apud Monachos Dominicanos, quibus cum vixit totum triduum, deinde Bilsfeldium 18. Novembris venisset, ibique inaudivisset in vicinia in vico Angaria veteri Saxoniæ Regum Augustali, superesse VVitikindi Magni, Saxonum Principis quondam celeberrimi, antiqui operis sepulchrum, visendi gratia eo divertit. Erat tum temporis, juxta Henricum Meibomium in Notis ad Hermannii de Lerbeke Monachi Dominicani domus S. Pauli Mindensis Chronicon Comitum Schavvenburgensium pag. 80. tumba venustate nonnihil deformata, quod non ferens Cæsar interpolari renovarique eam mandavit, additis insignibus, nempe Leone flavo cum caudâ bifurcata in puniceo campo.

Porrò quod monumentum ipsum VVitikindi, etiamnum hoc Anno, cum ex clementissimâ commissione Serenissimi ac Potentissimi Principis Dn. Dn. FRIEDERICI WILHELMI Maximi Electoris Brandenburgici Dni mei clementissimi in Comitatu Ravensbergico versarer, diligentissime inspectum attinet, non meis verbis, sed clarissimi Viri & de historia rerum Germanicarum præclare meriti Reineri Reineccii in discursu de Angriaria edito inter opuscula Varia de Westphaliâ ejusque doctis aliquot Viris à Johanne Goes Westphalo, structuram ejusdem exponendam heic duco. *Representat id fanum VVitikindi, formam crucis, inquit Reineccius, ac ita representat, ut quatuor hemicyclia exprimat*

primat. Collis, in quo situm est, eo, qui arcem habuit aliquanto editior est. Primum versus Orientem hemicyclion includit altaria duo, alterum in ipso diametro, seu aditu, augustius, alterum humilium. Medium ferè inter hæc interstitium VVidechindi monumentum intercipit. Cujus longitudo est circiter pedum 7 $\frac{1}{2}$  latitudo duorum, altitudo 2 $\frac{1}{2}$ . Basis & tumba lignea sunt, cui tumba cippus impositus imaginem VVidechindi insculptam habet. Eatalis est. Longitudo haud minor 11X. palmorum esse videtur. Facies admodum decora, sed longiuscula, cum mento raso & naso plano, regiam quandam gravitatem, nec solum animi magnitudinem, sed ingenii quoque sagacitatem atq; acumen præfert. Coma capitis prominentior ad nigrum colorem accedit, ipsum caput pileus caruleus tegit, cui gemmis radians diadema implicatum, tametsi hodie gemmis evulsis, tantum palæ ostendantur. Vestis interior est talaris punicea, quam excipit trabea coccinea, margaritis refertissima. In eadem limbus aureus, qui gemmarum veluti emblemata intertexta habuit, conspicitur. Nunc enim palæ solummodo reliquæ sunt. Tertia vestis est toga carulea, preciosis pellibus subducta. Eadem exterius asteriscis quibusdam aureis coruscat: & prætextam auream gemma ornant, licet & hæc amissa sint. Manum dextram erectam tenet, sed ut medius digitus indicem ex transversopremat. Nam eam quasi naturalem notam VVidechindum habuisse incolæ affirmant. Leva manus sub exteriori togâ latet, sed ut eâ sinum faciat, itaque sceptrum gestet. Calcei qui deaurati talos attingunt, ad digitos pedis in formam acutam desinunt. In medio secluram excipit margaritarum ordo. Ipsam imaginem tegunt valvæ duæ, quas sustinent totidem triangulares tabulæ. Ea quæ ad caput cernitur, quasi dissecta insignia habet: nam dextrum latus est nigra dimidiata aquila in puniceo, sinistrum septem aurea lilia in caruleo campo. In alterâ ad pedes flavus leo visitur in puniceo campo. Margines sepulcri continent epitaphium.

12 OSSA VIRI FORTIS, CVIVS SORS NESCIA MORTIS.  
ISTE LOCVS MVNIT, EVGE BONE SPIRITVS AVDIT.  
OMNIS MVNDATVR HVNC REGEM QVIVENERATVR.  
ÆGROS HIC MORBIS COELI REX SALVAT ET ORBIS.

Ceterum quâ religione & veneratione superiorum temporum superstitione hoc VVidechindi monumentum coluerit, ut alia reticeam, de eodem Epitaphio planum fit. Hæc nostrâ tempestate in Evangelicâ luce solennes quadam exequiæ retinentur, quas incolæ ad 11X. Id. Januarii, quæ sunt τὰ ἑπιφάνεια VVidechindo faciunt. Etenim ita consuetudo obtinuit, ut è pagis finitimis agrestes tanquam strenas quasdâ conferant, quæ deinde à Magistratu instar sportularum in egenos distribuuntur. Hæc Reinerus Reineccius laudato loco.

Atqui hæc ea sunt, quæ de vitâ & rebus præclare gestis VVitikindi ob rerum gestarum celebritatem Magni cognominati, Ducis Saxonum, Principis Angriæ, Rugiæ, Dynastæ Iburgi, Herois, & Germanicæ libertatis propugnatoris fortissimi ac incomparabilis, ex rerum Germanicarum scriptoribus & antiquis monumentis in medium adducere volui. Vivit interim ille, vivetque, quod de eloquentiæ parente dicebat Velleius lib. 2. per omnem seculorum memoriam, dumque hoc rerum naturæ corpus manebit incolûme, comitem ævi sui laudem VVidekindi trahet, citiusque in mundo genus hominum, quam ea cadet. Salve interim VVitikinde; iterum dico VVitikinde salve, & hoc, quod in præsentis officium solvo, hanc pietatem gratam jucundamque habet. Non æra aut marmor in tuos formamus vultus: non cælo educimus superbas moles, quæ simul honorem nominis tui & admirationem oculis injiciant. Parabili materia, & facili artificio memoriæ tuæ consulimus: complexi scripto, quod sumtuosâ industriâ alii & magno opere vix exprimant, nam fortitudo, scientia artis militaris, amor erga patriam dulcissimam, ejusdemque defendendæ ac propugnandæ libertatis ardor & studium indefessum, res denique præclare gestæ nec manu pictoris, nec statuarii artificio ostendi potuerunt, & solâ oratione figurantur. Quicquid sane in VVitikindo nostro amavit antiquitas, quicquid & nos mirati sumus, manet (ut heic utamur verbis illustri Annalium conditoris Taciti in vita Julii Agricolæ) mansurumq; est in æternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum velut inglorios & ignobiles fama obruet, VVitikindus posteritati narratus & traditus, superstes erit.



FINIS.

Faint, mostly illegible Latin text, likely a hagiographical account of the life and deeds of St. Vivilianus.

Faint text at the bottom of the page, possibly a signature or a reference.







~~11~~ n 2946  
40

ULB Halle 3  
004 144 341  


VJ 17

2. C.







# JACOBI ANDREÆ CRUSII.

JCTI, NEC NON SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DN. DN. ELECTORIS BRANDENBURG

WITTI

DE WITIK  
ANGARIÆ,

LIBERTATIS  
BELLO CONTRA CA  
GESTO PR

VITA, MOR  
PACEVE PRÆCLAR  
STIANISM

EX OPTIMIS


OUS.

NCI PIS  
ONUM,

MUTURNO  
MPERATOREM  
IMI

BELLO,  
NE AD CHRI.  
OQUE

MENTIS



MINDA

Sumptibus JACOBI GODEFREDI SEYLER.  
TYPIS JOANNIS PILERI M DC LXXIX.

